6
38-D
67

6
5 K
28

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6.5-K.28

EZECHIELIS SPANHEMII.

DISSERTATIO
DE PRAESTANTIA
ET VSV
NVMISMATVM
ANTIQVORVM.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ROMAE

Apud Blaſium Deuerſin, & Felicem Ceſarettum:

Typis Fabij de Falcho M. DC. LXIV.

SVPERIORVM PERMISSV

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRISTINAE AVGVSTAE.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE VITTORIO EMANUELE ROMA

OFFERO Tibi Opuſculum, AVGVSTA, quod non alio, quàm tuo Nomine diuulgari oportuit. Neque enim ſuſceptum illud magis fiducia tui patrocinij, quàm auctoritate ſingularis exempli. Habet quippe commendationem illius Supellectilis, ad cuius decus & ornamentum nihil deeſſe amplius voluiſti. Dum enim ſummum illi pretium conſtituis, effeciſti omnino, vt in verà huius æris æſtimatione, reliqua hominum iudicia cogantur tandem

Digitized by Google

acquieſcere. Tanget enim multos verecundia tui faſtigij; plures diuina ingenij tui magnitudo: vt retractare ſententiam errore aut ignoratione conceptam, non modò ſecurum, ſed glorioſum etiam futurum ſit. Adeo, vt nihil mihi ſit potius ad ſuſcepti argumenti tractationem, quàm vt aliquam tuæ huius mentis declarationem habeat hic liber. Mitto enim libenter dotes illas tuas, defixas in contemplatione aut curâ rerum & diſciplinarum grauiſſimarum, aliaque inſolita Faſtigij tui aut Sexus decora. Illa enim cùm nota prædicatione omnium linguarum ac ingeniorum, tum ipſo opere conſpicua, in clariſſima luce verſantur. At priuatam illam otij tui oblectationem, quâ iucundè ſoles recreari, non æquè forte omnes intelligunt; cuius tamen contemplatione affici me aliquantò libentius, & commoueri mirum in modum non diffiteor. Sciat itaq; præſens ætas, nec taceat poſtera, CHRISTINAM in relaxationem animi & curarum requiem, admittere frequenter hæc monumenta, quibus præclara priſci æui cùm memoria, tum elegantia continetur. Voluiſti non ſemel, AVGVSTA, conſtare mihi rationem huius tuæ voluptatis, quam paratam tibi & expeditam præbet Gaza illa tua verè Regia, beatâ Nummorum veterum copiâ & pari delectu mirabilis. Neq; enim Te mouent eorum voces, qui iacturam temporis, inſaniam, morbum vocare ſolent hoc genus oblectamenti; quod ipſi

Par-

Parthorum Regum more, in acuendis cuſpidibus telorum, aut inani & fugitiuâ ponunt voluptate. Ludrica verò hæc tua, cupidè ac diligenter verſare æra ſpirantia, quæ Tibi ſata Imperiorum, & clarorum hominum vultus ante oculos ponunt. Læta olim ſurgebat tellus, quum Dictatorum manibus colebatur. Quàm lætior exſurgit huius Aeris præſtantia; dum regali dextrâ æruginem illi abſtergis, illudq; magnificè adeò à ſqualore & contemptu vindicas. Intelligis enim non lutum eſſe quod tractas, ſed gemmas ſummi pretij, quo nomine hoc genus ſupellectilis vocat Iuriſconſultus; quæ ideo conſpicua ſunt mundi tui ornamenta, quod lucem ſapientiæ veteri ac virtuti commodant. Nec in ijs tractandis, alienâ certè aut ingratâ frueris voluptate. Incidis enim paſſim in Titulos ac Imagines tuarum rerum, Liberalitates, Coronas, Triumphos, Victorias Germanicas, Captas & Reſtitutas Prouincias, Clauſum Iani Templum, Gloriam Sæculi, & quod Tibi magis adhuc proprium ac iure Tuum, REGEM DATVM, vel REGNA ADSIGNATA, nec aliena ſed tua. Hæc enim ſingula magis Te adficiunt, quàm adſpectus illarum Auguſtarum, quæ vix vllam Tecum, præterquàm huius cognominis habent communionem. Rides certè Diuis ibi adſcriptas, tenui vt plurimùm aut graui etiam geſtorum famâ laborantes; ac Aeternitatis opinionem, Rogo aut Funeris

pom-

pompa, non vi mentis ignea, aut immortalitate operum conſequutas. At inter tot Titulos ac Imagines tuæ gloriæ, non minus ille Te delectabit RESTITVTORIS MONETAE, magnis olim & optimis Cæſaribus acceptus. Quæ enim tot Artes ac Diſciplinas tuis auſpicijs cultas pridem & illuſtratas noſti, idem quoque beneficium debere Tibi voluiſti illam memoriam, quà fama præclaris factis, immo quædam æternitas conſtat. Huius beneficij tui interpretem hunc librum eo vultu excipies, quo ſæpe Auctorem admiſiſti, leni ac ſereno. Conſcriptus ille non ſolùm tuo nutu, ſed Gazæ tuæ opibus instructus ſe Tibi ſiſtit. Neq; ſic tamen dignus, qui Tibi verſetur ante oculos, alio ſub titulo, quàm exigui hæreditariæ meæ erga Te Pietatis monumenti. Equidem illud ære perennius non auſim hic dicere, quod tenui adeò perennis æris commendatione defungitur. Quod ſi leuis opera, remanebit mihi ſaltem ampliſſimum illud ex veteri formula ſolatium, FACTVM EST DOMINA QVOD IMPERASTI.

LE-

LECTORI.

DE cauſâ aut inſtituto huius Opuſculi, nolo hîc tecum præfari, MI LECTOR. Vtrumque expoſui in ipſo Diſſertationis veſtibulo, quod hîc repetere parum videtur opportunum. Neque magis commendationem illi ambio, vllâ feſtinatæ operæ, quam ſatis opus ipſum arguet, excuſatione. Nequidquam enim errori venia prætexitur, obtentu oblatæ cuiuſcunque tandem errandi occaſionis. Duo ſolùm hîc paucis te volo. Vnum, factum inſtantis mei ab Vrbe diſceſſus contemplatione, vt quam orſus ſum telam non licuerit integram pertexere. Abrumpere itaque illam in medio fermè opere coactus ſum, alibi maiori otio ac diligentia retexendam. Sequetur enim, Deo iuuante, Appendix altera, quâ Theologiam Gentilium, Conſecrationes, Geographiam, Chronologiam, & Veterum Suppellectilem in re Nummaria, Veſtiaria, & reliquo apparatu poſitam, ex ineditis pleriſque priſcorum Numiſmatum monumentis, illuſtrare ſum aggreſſus. Nata enim nobis copioſa id genus Obſeruationum ſeges, dum ſubinde hîc per otium Penus eiuſmodi Nummaria ſub adſpectum venit. Alterum quod te volo, Typos Græcos, quos hîc leges, paratam ſemper ad iuuandas litteras comitatem Eminentiſſimi Cardinalis FRANCISCI BARBERINI opportunè ſuppeditaſſe. Deerant enim Typographo, nec ijs carere permittebat inſtituti operis ratio. Hoc volui vt ſcires, ne Etruſcos Mæcenates Vrbi aut Litteris deeſſe etiamnum cenſeas. Vale, MI LECTOR, & PRAESTANTIAM huius Mercis, non ex Inſtitoris præconio, ſed ex VSV eiuſdem æſtimare aſſueſce.

AP-

APPROBATIONES

VIdi ac recenſui diligenter iuſſu Reuerendiſſimi P. Hyacinthi Libelli S. P. Apoſtolici pro Magiſtri ego infraſcriptus opuſculum Ezechielis Spanhemij, cui titulus *Diſſertatio de Præſtantia & Vſu Numiſmatum antiquorum,* nihilque in eo nec à recta fide,nec à bonis moribus alienum offendi. Cùm autem variæ, reconditæque eruditionis, & non vulgarium omnis antiquitatis myſteriorum plenum ſit; multamque præſerat verborum, ac ſententiarum elegantiam & copiam; dignum omnino publica luce, & eruditorum cognitione iudico. Datum Romæ IX. KAL. Mart. anno M. DC. LXIV.

Ita cenſeo ego Stephanus Gradius S. Indicis Conſultor.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici.

O. Archiep. Patrac. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri, & Apoſtolici Palatij Promagiſter.

DIS-

DISSERTATIO
DE
PRAESTANTIA ET VSV
NVMISMATVM ANTIQVORVM.

OCTAVIO FALKONERIO
S. D.
EZECHIEL SPANHEMIVS.

ROGASTI me aliquoties, pro noſtra conſuetudine, OCTAVI FALKONERI, vt quid de Nummis Veterum ſentirem, litteris quoque tradere, non dubitarem. Quum enim hac me priſci æui elegantia delectari non leuiter animaduertiſſes, ita de illius vel vſu, vel pretio diſſerendi, non vna hic in Vrbe ſeſe obtulit occaſio. Præbuit verò illam ſæpius ipſa Nummorum, quos te vel comite, vel duce, nonnunquam inſpexi, contemplatio; qua inter alia itineris Italici oblectamenta, oculos, ani- OCCASIO DISSERTATIONIS.

mumque, tanquam iucundiſſimo ſpectaculo, ſubinde licuit explere. Ea quippe contractæ tecum neceſſitudinis ratio, & felicitas fuit; vt tum alias, tum hic quoque, illius te voluptatis ſenſus afficeret, quam longè maximam percipere me identidem prædicabam. Ibi verò, quod ſuadebas, vt eam diffundi latius paterer, facile ſum aſſenſus; qui, vt amantes ſolent, ijs quibus capiebamur illecebris, pretium apud omnes conſtare cupiebam. Ita factum, vt hic mihi ante oculos obuerſari plurima confidentius affirmarem, quibus nullo negotio poſſem eos à ſententia dimouere, qui omnem hanc operam, vt inutilem aut otioſam deridente. At neſcio quomodo, non à ſententia quidem, ſed à tumultuario ſcribendi propoſito, maturior quædam conſilij ratio reuocabat. Enimuero, vt ingenuè quod res eſt fatear, à ludibrio parum abeſſe iudicabam, ſi in ipſa luce, & ſede huius induſtriæ, tot ſubactis in ea ingenijs, & quibus paſſim vniuerſa, quos vocant, Antiquariorum natio aſſurgit, ego vſu longè, & peritia inferior, quidpiam de ea commentari aggrederer. Accedebat viatoris, hoc eſt à muſeo, chartis, omnique familiari ſcribendi ſupellectile exulantis ratio; quotidianæ & potiores forte interpellationes; publici, quod ſalutare propter viam nefas ſemper iudicaui, reuerentia; ipſa denique inſtituti itineris, ad capiendum, non oſtentan-

dum

dum ingenij cultum, ſalubrior quædam & opportuna recordatio. Ita non omittere quidem, ſed premere omne illud propoſitum cogitabam; quò pudori tuo ſimul & meo conſulerem, ni vis maior acceſſiſſet, quæ mihi omnem nouiſſimi huius conſilij rationem excuſſit. Fas enim mihi ſit, vno CHRISTINAE AVGVSTAE imperio, ab omni me reprehẽſionis moleſtia liberare, & in ſola obſequij gloria, vniuerſam huius tumultuariæ ſcriptionis, vt laudem, ſic veniæ ſpem collocare.

Varia ſunt, vt noſti, & quod crebrò accidit in æſtimandis priſci æui reliquijs, tum longè quoque inter ſe diſcrepantia circa Nummos Veteres hominum iudicia. Alij in colligendis ijs aſſidui, nulli nec ſumptui, nec diligentiæ parcunt, vt luculentum quendam ex ijs vel numerum, vel delectum conficiant. Vnde poſteà eoſdem, tanquam pici aurum ſuum aſſeruant; immo eorum poſſesſione, non ſecus ac ingentis Theſauri cuſtodia, efferre ſeſe ſolent & oblectare. Alij verò, quibus geminam felicitatem, aut peculium domeſticum non concesſit, aut loci ratio inuidit; eoſdem tamen ad ornamentum veteris elegantiæ, aliquo vſu edocti, plurimùm conferre non diffitentur. Maior autem pars, quod vltrò fateor nec indignor, omnem hanc operam in coaceruandis, vel excutiendis id genus monumentis poſitam, vt inanem, aut

PROPOSITIO ET DIVERSITAS IVDICIORVM.

etiam importunam, longè à ſe abeſſe patiuntur. Horũ verò duo sũt genera; Vnũ eorũ, qui recẽtis ſolùm monetæ auidi, veteris incurioſi, omnem Glauci, & Diomedis permutationem auerſantur, & æreos aliquot, ac ærugine obſitos, ſplendidis aureis redimere, abſonum, & inconſultum ducunt. Alterum eorum, qui de temporis potius, quàm pecuniæ iactura ſolliciti, vniuerſam in Nummis id genus excutiendis contemplationem, & curam, vt omni tum delectatione, tum vtilitate vacuam, conſultò prætermittunt. Ad eiuſmodi verò ſententiam, non vna quoque hos, vel ratio, vel cauſa impellit. Prior inſita illa humanis, & frequentius maximis etiam ingenijs conſuetudo dicam an labes, vt quæ ignorant, contemtu ſtrenuè vlciſcantur, & ea ſolùm apud eos commendationem habeant, ad quæ illos, aut vitæ inſtitutum, aut naturæ propenſio traduxit. Diuerſa rurſus aliorum ratio eſt, qui vel vſu, vel opportunitate ad tractanda id genus monumenta deſtituti, non contemtu, ſed mera ignoratione reconditæ in ijs vtilitatis, in ſequiorem ſententiam de illis eorumque æſtimatoribus adducuntur. Cum poſtremo hoc hominum genere, hic mihi rem eſſe, & in eorum gratiam, quidquid hoc eſt laboris ſuſcipere, ingenuè hic in limine profiteor. Nec enim priorum arcæ, aut peculio, modum præfigere vel debeo, vel poſſum; aut alias homines

mines, omnis remotæ Antiquitatis contemtum profeſſos,ad meliorem ſententiam,vel mentem potius reuocare in animum induxi. Minus quoque id mihi ſtatutum hoc loco, vt potiores artes de manibus iuuentutis excutiam; aut hoc induſtriæ genus, vt neceſſarium vitæ inſtrumentum, ſingulis hominum ordinibus,tractandum, & excolendum promiſcuè ſuadeam. Vnus hic mihi ſcopus, vt præclaram antiquitatis partem à contẽtu,& eorum ſtudiũ,qui his pretium ponunt, à ludibrio vindicem; tum vt ab ijs,qui veteris elegantiæ, & eruditionis amore vel cultu ducuntur, egregiam, & laudabilem in ijs operam collocari poſſe, & debere, apertum manifeſtumque faciam.

COMMENDATIO A DIGNITATE.

Atque vt hinc initium ducam, vnde Nummis pretium continuò accedit, ipſa huius induſtriæ DIGNITAS,mirũ quã multiplici nomine ſe commendet. Si. *Antiquitatis* enim habenda hic ratio,quem non moueat clarisſimis monumentis teſtata conſignataque vetuſtas? Enimuero non is ego ſum, qui præſentium faſtidio, veterum tantum deſiderio tenear, & iacentes quaſque ac ſepultas vetuſtatis reliquias, pro reconditis Theſauris,continuò habendas putem. Nimia hic nonnunquam fateor, aut ſuperuacanea quorundam cura, quibus venuſta omnia quæ vetuſta, & ſola antiquitas aut rubigo pretium, non vſus aut elegantia conciliat. At

1 *Ob Antiquitatem.*

ſi

ſi Rudera tamen varia; Columnæ; Statuæ; Lapides; Vrnæ; Pateræ, Fibulæ; Lampades; Simpula; Annuli; Teſſeræ; aliaque veteris Romanorum vel Elegantiæ, vel Supellectilis monumenta commendationem adhuc habent, quid de Nummis ſtatuendum ſit, in quibus non muta illa ferme aut mortua, ſed ſpirans adhuc quaſi, & rediuiua vniuerſa ſeſe offert Antiquitas, facile per ſe quiſque poteſt arbitrari.

Antiquitatis pretium apud ipſos veteres.

Magna vtique, OCTAVI eruditiſſime, antiquitatis in omni hoc Monumentorum genere reuerentia, non huius ſolùm, aut ſuperioris ætatis, ſed remotioris etiam cuiuſque mentes inceſſit. Hinc Annales veterum euoluenti, tot paſſim ſeſe offerunt ſtudioſè quæſita iam olim, priſcæ omnis memoriæ veſtigia. Qualia frequenter quidem legimus, Oſſa Gigantum, Arma Heroum, Belluarum Membra, Victoriarum præmia aut inſtrumenta; quibus vel Deorum Templa, vel Prætoria Principum, vel elegantiorum hominum Atria paſſim exornabant. Apud Gaditanos Pygmalionis aurea Oliua; apud Argiuos Atrei Phiala; apud Arcadas Corium Apri Caledonij; apud Delphos Pindari Sella; apud Tingitanos Parma Antæi; apud Olympios Arca Cypſeli; apud Lacedæmonios Ouum Ledæ, aut Haſta Ageſilai; apud diuerſos Pelopis Enſis; Teucri Baltheus; Achillis Haſta; Enſis Memnonis; Timothei Cithara; Torquis Hele-

næ;

næ;Iphigeniæ Gladius; Monile Euriphiles; aliaquè id genus diligenter, & religioſè quaſi aſſeruata leguntur, quæ ex Mela, Plutarcho, Athenæo,Pauſania,Philoſtrato,Dione,Gellio,liceret hic pluribus commemorare.Ita ars cælandi apud Romanos, vbi paulatim exoleuiſſet, Plinij tamen ætate, vt idem refert, vel *ſola vetuſtate cenſebatur*. Eadem antiquarum rerum cupiditate flagraſſe, magnum Alexandrum, autor Philoſtratus; quam in æmulo eiuſdem Iulio Cæſare agnouit Tranquillus, qui eum tradit, *Gemmas, toreumata, ſigna, tabulas operis antiqui ſemper animoſiſſimè comparaſſe*. Quod ſtudium etiam ad huius hæredem tranſijt, de quo idem refert Hiſtoricus, illum Prætoria ſua omiſſis ornamentis alijs, *rebus vetuſtate, & raritate notabilibus excoluiſſe*. Quò ſpectaſſe etiam obiter hic, obſeruo, officium illorum τῶν ἐπὶ τοῖς θαύμασι ſeu Admirandis præpoſitorũ,(quos vulgo hodie Principum Antiquarios vocant)quorum Pauſanias in Arcadicis meminit, occaſione dentium Apri Caledonij, qui ab Auguſto ex Arcadia Romam delati,ijdem fortè, qui Procopij ætate Beneuenti adhuc viſebantur. Adeo ut quum alibi apud eundem Tranquillum legimus, Auguſtum Antiquarios, & Cacozelos pari faſtidio ſpreuiſſe, non rerum, ſed verborum antiquorum ſectatores, quiuis facile apud eum aſſequatur. Quæ obiter, nec aliena ab hoc

lib.XXXIII. c.12.

l.1.Vit. Apollon.c.4.

Sueton.in Aug

Goth.lib.1.

loco

loco à me referuntur, vt intelligant tandem, qui omne hoc rerum antiquarum ſtudium, illiuſque cultores vilipendunt, quibus, & quantis dicam ſcribant.

Circa Nummorum Studium.

Quod verò hic potiſſimum agitur, inter tot res vetuſtate ſpectabiles, priorum ætatum Numiſmata locum iam olim haud ignobilem habuere. Hinc apud Dionem, oratorem illum & philoſophum elegantiſſimum lego, Homerum antiquas voces nonnunquam adhibuiſſe,

Orat. XII.

ὥσπερ νόμισμα ἀρχαῖον ἐκ θησαυροῦ ποθὲν ἀδεσπότου *Sicut NVMISMA aliquod VETVS ex Theſauro quopiam domino carente* depromptũ. Ita eundem illum Auguſtum, vt omni alia ſelectiori vetuſtatis memoria, ſic Nummis etiam antiquis & exoticis delectatum, non obſcurè licet colligere; qui illo quoque munuſculorum genere amicos ſuos ſolitus fuit nonnunquam proſequi. Vnde hac de re Tranquillus, *Saturnalibus & ſi quando alias libuiſſet, modo munera diuidebat veſtem & aurum & argentum; modò NVMMOS omnis notæ etiam VETERES REGIOS AC PEREGRINOS.* Ita vt hac ratione plures ad tractanda id genus monumenta inuitaret, ne de æui ſui infelicitate vſurpari poſſet aliquando

lib. III. Ep. II

illud Symmachi, *Spectatorum VETERIS MONETAE ſolus ſuperſum.* Præ reliquis autem, & inſtar omnium teſtis huius moris luculentus Iuriſconſultus, qui Numiſmatum aureorum,

&

& argenteorum VETERVM QVIBVS PRO GEMMIS vti ſolent, vſumfructum legari poſſe definiuit. *Pompon. D. de vſufruct.*

Difficile verò hic fateor ſuam ſingulis tot Gentium, & locorum Nummis ætatem, aut Antiquitatis prærogatiuam, vni alteriue adſignare. Nec id agimus hoc loco. In Romanorum, aut Romani Orbis Nummis, res minus habet difficultatis, qui aut ſub Cæſaribus, Imperatorum vultu ſignati, aut ſtante Republica, præſtantiſſimorum ciuium ętatem fermè præ ſe ferunt. In Nummis verò Græcorum, & Aſiaticorum, ante admiſſum Romani imperij iugum cuſis, res incerta, & minus vulgata, quum magna eorum pars certis locorum inſignibus, nulla, aut obſcura temporis nota ſit diſtincta. At verò plurimos ex ijs, liberis adhuc Græcorum rebus, h. e. florente Perſarum imperio percuſſos, ex Nummis cùm Macedonum aliquot; Philippo, & Alexandro vetuſtioribus; tum Græcorum, qui antiquiorum Magiſtratuum nominibus ſignati; præterea Siculorum aliquot vetuſtiſſimorum, liquidum mihi ſit ac manifeſtum. Sed de his alias, & maiori cum otio. Nec enim de primæua Nummorum antiquitate nobis hic ſermo, & an infra Palamedis tempora ſignatæ pecuniæ origo referri debeat, vt Philoſtrato in Heroicis placuiſſe nemini. Illud ſaltem hinc mihi facile, vt ſpero, largientur, non vſque *De Antiquitate Nummorum.*

adeo contemnẽdam, aut alibi facile obuiã videri aſſurgentem ſupra duo millia annorũ vetuſtatẽ.

2 *Ob Durationem.* Antiquitatis enim illam in Nummis prærogatiuam ac Dignitatem, *Duratio* certè eorundem maximè arguit. Nummos immortalitatis ſtudium, & cura inuenit, ſicut ſepulchrorum *Tuſculan.* 1. monumenta, & Elogia, vt de ijs alicubi diſſerentem Tullium noſti. Nec enim alia cuſtodia aut rerum geſtarum memoria fidelior, vt quod de litteris in genere Liuius, ad Nummos potiori quodam iure referre mihi liceat. Intellexere hoc (quod etiamnum hodie in publicis operibus, aut ſolennibus, ſequior ætas feliciter æmulatur) quicunque propagandi ad poſteros nominis immenſa, & laudabili quadam cupiditate flagrarunt. Hinc vultus ſuos, aut res geſtas, dignas ſeculorum memoria, Libris quidem, Columnis, Saxis, Tropæis, Tabulis, Statuis, ſed tanquam ijs non confiſi, Nummis quoque conſignari voluerunt; vt certiori quodam æternitatis pignore, ſe ſuaque ab obliuione vindicarent. Quò ſpectat Ducis illius Græcanici apud Athenæum facinus, qui vbi nummos curaſſet ſpargi ad perpetuam memoriam, in campis, & ruinis Corinthi, tum demum tanquam voti iam reus, mori non dubitauit. Inde etiam crebræ illæ ac ſolennes, quæ occurrunt in Nummis veterũ Formulæ, AETERNITATI AVGVSTI; AETERNAE MEMORIAE; PERPETVI-

TA-

TATI AVG. ROMAE quoque AETERNAE; quibus, quam Diuorum honoribus ac Templis nequidquam quærebant immortalitatem,his monumentis quodammodo ſunt apud poſteros conſequuti.

Durationis illorum Comparatio cum alijs Monumẽtis.

Nec enim eos hic vel ratio, vel euentus fefellit. Alia quippe opera in eorum gloriam inciſa vel erecta, præclara quidem illa, & diuturna, materiæ tamen aut temporum iniuria,breuiori quadam annorum circumſcriptione fuerunt oblitterata. Magnificę quidem ſunt illæ voces, quibus extructiones ciuibus pro Rep. defunctis decernendas ſtatuit alicubi Tullius; *Erit igitur extructa moles opere magnifico, inciſa litteræ diuinæ virtutis teſtes ſempiternæ, ita pro mortali conditione vitæ immortalitatem eſtis conſequuti.* *Philip. XIV.* Hæc ipſa tamen nonne demolita eſt, & obſcurauit obliuio,inuidit aut aboleuit poſteritas? *Templa*, *Theatra*, *Arcus*, *Tropæa*, (vt paucis rem hic potiſſimum obuiam complectar) quot aut qualia hodie ſuperſunt? Hæc enim, quæ non ad *temporiam moram*, vt Theatrum illud Scauri, de quo magnifice adeò Plinius alicubi loquitur, *Lib.XXXIV c. 15.* ſed ad *æternitatis deſtinationem* erant erecta, vt male tamen pleraq; ſpem illam æternitatis impleruint, quorum vix ruinæ aut veſtigia ab aliquot iam ſeculis conſpiciuntur. *Librorum* veterum obnoxium tot iniurijs fatum, & deploratam ſæpius, nec tamen ſatis vnquam lu-

gendam iacturam, quis illiteratus adeò aut neſcit, aut ita ferreus quotidie ahuc non ingemiſcit? Alexandrina incendia, & notam Vrbis calamitatem omitto; vel vna Photij Bibliotheca, quantum ab octingentis annis perierit monumentorum id genus, abundè teſtatum facit. *Picturæ*, quæ vix ſeculorum aliquot edacitatem effugiunt, ita ad diuturnitatem memoriæ longè adhuc minus habent præſidij. Hinc obſoletas iam æuo ſuo inſignes aliquot Græcorum picturas, queritur non ſemel Pauſanias, in ea vetuſtiorum operum, quam paſſim inſtituit, commemoratione. Vnde Tullius quoque Rempublicam ſuorum temporum, confert alicubi picturæ non ſolùm euaneſcenti vetuſtate, ſed coloribus etiam, & extremis lineamentis deſtitutæ. Apellis vtique nomen nouimus, opera ignoramus. Non illa Venus Anaduomene amatores amplius allicit; non Alexander ille cum fulmine, mortali Alexandro felicior; non miles eius Antigonus, alibi quàm in Nummis ſuperſtes; non alia denique decantata Parrhaſij, Zeuxidis, hoc eſt præſtantiſſimorũ Artificum miracula oculos hodie noſtros oblectant. Vix aliqua eorum veſtigia Romæ ſupererant æuo Petronij, qui inſpecta quædam id genus, vt ſingulare ſpectaculum commemorat: *Nam inquit, & Zeuxidis manus vidi, nondum vetuſtatis iniuria victas, & Protogenis rudimenta*. Fragmenta aliquot

In Attic. & Arcad.

In Frag. de Repub.

ten-

tenuia, & obſcura picturæ veteris, quæ in Aldobrandinis Hortis, Palatio Farneſiano, & apud ſummæ tùm amplitudinis, tùm comitatis virum Camillum Maximi, etiamnum occurrunt, dolorem potius, & deſiderium, quàm voluptatem, & ſolatium ſpectatoribus adferunt. *Statuæ*, *Signa*, *Lapides*, *Marmora*, vt præſtantia, & diuturnitate materiæ, ad memoriam æternitatis comparata, ſic propitio magis fato ſeculorum vim, & obliuionem temporum, eluſiſſe videntur. Habet adhuc fateor, in hoc genere Italia, & Roma vel maximè, quò præclaram etiamnum & iucundam priſtini decoris ſpeciem aduenarum oculis ſubijciat. Laocoon Vaticanus iam Plinij tempore, pro ſupremo Artis conatu habitus; Hercules tum Farneſianus, tum Capitolinus; Venus Medicæa; Seneca & Gladiatores Borgheſiani; illa M. Aurelij ſtatua Equeſtris; aliaque nonnulla ſingularis, & diuinæ cuiuſdam præſtantiæ opera, ad publicum ſtuporem, & exemplum etiamnum ſuperſunt. Sed præterquàm quod manca multa ſint ex ijs & mutila, quot & quanta ſunt, ſi cum veterum Statuarum numero, & amplitudine conferantur? Meminiſti quid de earum fato diſertiſſimus Orator, & Conſul, iam olim pronuntiarit; *Illæ autem aureæ, & innumerabiles ſtrage, & ruina publico gaudio litauerunt*. Hinc ſingulas ſtatuas conſecrari quidem vt æternas, obſeruat alicubi Dio Chryſoſtomus, ſed

Plinius in Paneg.

Or. XXXVII.

ſed eaſdem cum vario fato, tum longinquitate temporis intercidere agnoſcit. Quod ipſum præclarè alicubi etiã expreſſit Euſebius, qui hominibus ad ſolatium mortis, & æternitatis contẽplationẽ quæſitas Imagines, Statuas, ac Monumenta id genus commemorat; quæ tamen omnia caduca, & breui eſſent interitura. Vnde apud alterum Dionem Mæcenas, Auguſtum ab aureis, & argenteis Statuis in ſuum honorem erigendis dehortatur, quod parùm illæ ſoleant eſſe diuturnæ. Non ſolùm de Ioue Olympio Phidiæ, aut Venere Praxitelæ hic loquor; non de immenſa illa Statuarum multitudine, quibus aut Vrbis fora, aut Viæ publicæ, aut priuatorum Villæ ſplendebant; non de innumerabilibus illis Deorum ſimulachris, quæ eodem cum Dijs ſuis fato periere. Illos ſidereos Coloſſos Solis, Neronis, Commodi, qui quo cœlo propiores, æternitatis quoque ſpem minus dubiam habere videbantur, aut plane interijſſe, aut eorum aliquot laceros, & diſſipatos artus iacentes intuemur. Mitto direptas Vrbis à Cõſtantino Pogonato Statuas, aut certis quibuſdam locis incluſam, & definitam earum copiam, alijs fermè gentibus inconceſſam. Nummi verò integri magis, incorrupti; cùm materiæ beneficio, tum artis cõpendio; amplitudine verò locorum, in quibus eruuntur; numero præterea, & varietate longè hic præponderant. Tale equidem non hic vendi-

De vit. Conſtant. lib. 1. c. 3.

Lib. III.

dito Monumentorum id genus, in quod vnum, nihil flammis, nihil ſenectuti, nihil poſteritati liceat. Sempiternum ea ratione dicimus, qua pro mortali vitæ conditione, fatalem terminum ſi non abolere funditus, in immenſum ſaltem producere videtur. Adeo vt immortalem illam vitam, quam ſibi nequidquam ſecundus augurabatur Ptolomæus, ſolam hactenus eidem Nũmi præſtiterint, in quibus ille ſe adhuc hodie conſpiciendum præbet. Incredibilem alias Nummorum multitudinem, carie quoque, & caſibus varijs conſumptam, aut etiamnum ſepultam non diffiteor, & ſi ad veterum ſignatam pecuniam ſubducatur, minimam illam, & contemnendam forte, Cl. Salmaſio alicubi id aſſerenti lubens concedam. At ſi rurſus eadem cum reſiduis alijs monumentis veterum conferatur; ſi Nummorum, qui in Europa, Aſiaque, aut iam reperti, aut quotidie è terræ viſceribus eruuntur, numerus reputetur; ſi antiquitatis eorundem ratio qualiſcunque habeatur, incredibilem adhuc quandam, & prope infinitam illorum tum copiã, tum varietatem, omnes, qui vel mediocrẽ corũ vsũ habent, mirari vltro, & fateri cogẽtur.

Athen. Deip. l. XII.

Ep. 2. de Cruce.

Nec Dignitatem illam Nummorum *Argumenti* in ijs expreſſi *Nobilitas* minus arguit, vel oſtentat. Sacram artem Statuariam vocat alicubi in deſcriptionibus ſuis Calliſtratus. SACRAM MONETAM verò, & Nummi ipſi con-

3 *Ob Argumenti Nobilitatem.*

continuò reclamant, & Conſtitutiones Principum abundè loquuntur. Hinc celebris illa lex Cornelia, aliaque ſolĕnia Statuta, perpetuo quodam Gentium conſenſu ſtabilita, quibus à temerarijs contrectatoribus & falſarijs, immunes vindicantur. Hinc eadem Monetæ in Nummis veterum, quæ Aequitatis effigies, vt ex æquo religio vtriuſque, & reuerentia traderetur. Mitto Iunonis etiam, & Apollinis Monetalis expreſſa, & adorata olim ſimulachra. Talem nempe Nummis venerationem Principum, ac Dominorum vultus ijs inſculpti paſſim conciliarunt. Hæc ſcilicet inter alias dominationis artes à Regibus paſſim, & Cæſaribus admiſſa, *vt imago Principum ſubiectos videretur paſcere per commercium*. Ita colendam eorum imaginem facilè ijdem crediderе, quorum nutu, & auſpicijs florens reſpublica, & incolumes priuatorum fortunæ ſeruabãtur. Hinc *æternales illos vultus violare* religio quædam veterum (vtinam pariter omnium recentium antiquariorum) mentes inceſſit. Vnde ille apud Artemidorum Stratonicus, Regem vel Regis nummum calcare pro eodem flagitio reputabat. Capitale certè fuiſſe Tiberianis temporibus, apud Senecam, & Suetonium legimus, effigiem illius Nummo vel Annulo impreſſam, latrinæ aut lupanari intuliſſe. Quod egregiè illuſtrat ille apud Philoſtratum locus, qui doctorum virorum effugit diligentiam,

Caſſiodorus. lib. 6. Ep. 7.

Oneiroc. lib. II. c. 33.

Lib. 1. de vit. Apollon.

gentiam, vbi apud Aſpendum Vrbem Pamphiliæ impietatis nonnemo damnatus legitur, qui ſeruũ verberibus affecerat ferẽtẽ forte drachmã argenteam, in qua expreſſa erat Tiberij effigies. Plures id genus omitto maieſtatis poſtulatos, ob imaginem Cæſarum promiſcuis vſibus violatam, cui etiam diademata ſua & tiaras ſoliti olim ſubijcere Orientis Reges, vt non de vno Arſacida, ac Tigrane, narrãt rei Romanæ Scriptores. Hinc vultus Nummis ſignandi inter præcipua olim Maieſtatis arcana receptum, quod Seuerum Clodio Albino ſingularis priuilegij loco conceſſiſſe, ac inter præcipuos honores matri Helenæ à Conſtantino exhibitos, refert Euſebius. *Lib. 3. de vit Cõſtant. c. 47.* Nec ſacram tamen ſolum hanc priſci æui memoriam æterni illi vultus, vt alia quoque ijſdem Nummis contenta arguere, & comprobare videntur. Religio veterum (vt paucis res prope innumerabiles complectar) & vniuerſa ſacrorum apud eos ratio; Ritus ſolennes Belli ac Pacis; Victoriarum vel Inſtrumenta vel Præmia, Gentium ac Vrbium Heroes, & Inſignia; Figuræ Virtutum aut Vitiorum ſymbolicæ; Animalium, aut Plantarum nobiliorum Effigies; Fabricæ denique, & Opera publica, quaſi ad memoriam æternitatis extructa. Ampla vtique, & digna materia, quam non ignobiles manus tractent!

4 *Ob ſplendorẽ, & Auctorita-*

Et certè vel hinc potiſſimum ſplendor, & de-

tem Nummos tractantium. decus quoddam peculiare huius Nummorum tractationis exſurgit. Quum enim pleræque aliæ Veterum laudabiles artes excolantur paſſim priuatorum ſtudijs, neſcio quomodo ſupra aliarum faſtigium, hanc vel ſors ſua, vel Dignitas euexit. Adeo vt ex quo elegantiores quæq; artes, ac diſciplinæ, è ſitu vetuſtatis erutæ, nitorem aliquem & cultum admiſere, nulla aut Candidatos nobiliores, aut patrocinium ſplendidius nacta eſſe videatur. Prolixum foret Cæſarum, Regum, Principum, Illuſtrium Togatorum, & ampliſſimi cuiuſque ordinis Virorum nomina recenſere, qui in Nummorum veterum delectum & curam, certatim quaſi incubuere. Quot aut quàm luculenta exempla hæc veſtra Italia, harum artium Parens & altrix ſuppeditat? Ita quidem intelligo, extitiſſe Auorum veſtrorum memoria, Domum MEDICAEAM; æternam illã Muſarũ Hoſpitem, quæ vt humanitatem omnem, & eruditionem ſinu ſuo excepit, & aluit, ita prima quoque ſuam veterum Nummis dignitatem adſeruit. Non meum illud ſolùm, ſed viri docti hac de re teſtimonium; *Si Nummos antiquos in pretio primum habitos à Mediceis contendero, nemo repugnabit opinor.* Fidem his adſtruit Philippus Cominæus, teſtis vt alienigena, ita oculatus & exceptione maior, qui aliquot millium aureorum Numiſmatum, & argenteorum vim immenſam ſuo

Laurent. Pignor. Epiſt. Symbol. XVI.

Hiſt. l. VII. Cap. IX.

ſuo tẽpore iam à Medicæis collectã, ac Italiæ in hoc genere præſtantiſſimam refert. Hæſit eadem vel creuit potius, in FRANCISCO Magno Etruriæ Duce ſollicitudo, ſub quo congeſtus ille Nummorum veterum Theſaurus, quem inter Europæ primarios, ſumma cum voluptate Florentiæ ante biennium inſpeximus. Hæret hæc eadem in LEOPOLDO Etruriæ Principe, qui vt omnium elegantiorum artium, ac diſciplinarum amore, & patrocinio, ita Nummorum quoque veterum peritia ſingulari, ac delectu excellit. Nihil famæ hic damus, ſed documentis ijs, quæ comitas eius faſtigio non minor, nobis aliquotiens ſuppeditauit. Hanc Domus Medicææ gloriam feliciter æmulata eſt Domus ESTENSIS, Heroum an Muſarum neſcio vtrum felicior parens, quæ has cognatas veterũ Cæſarũ Effigies, ſuis quoque imaginibus inſerendas credidit. ALPHONSVM certè Mutinæ Ducem, nuper admodum terris ereptum, memini collectos id genus à Maioribus Nummos, præclaros, & luculentos, ſumma cum peritiæ, & delectationis ſignificatione, coràm mihi viſendos exhibuiſſe. Geminum ſtudiũ in EVGENII IV. Purpurato Nepote; celebrauerat iam ante Aeneas Syluius, Pij II. nomine, & dignitate celebrior; *Antonius* inquit *S. Marci Cardinalis Eugenij Quarti Summi Præſulis Nepos, incredibile eſt quàm multa Numiſmata veterum conqui-* *Not. ad Ant. Panorm. Apopht.*

ſerit Imperatorum & Principum, amator & hic vetuſtatis eſt. In huius quoque laudis ſocietatem venere ſuperiori ſeculo, ALEXANDER FARNESIVS, magnum Vrbis decus, & IACOBVS BVONCOMPAGNI, q uorum ſtudio, & cura inſtructiſſima omni id genus ſupellectile Muſea, præcipua fama floruere, & florent etiamnum. Nec inferior in hoc laudis genere FRANCISCVS BARBERINVS, qui minorem à dignitate, & rebus geſtis, quàm à comitate incredibili, & optimarum quarumuis artium cultu, ſplendorem fœneratur. Vt alios iam inferioris quidem ordinis, magnæ tamen amplitudinis, & exiſtimationis viros omittam, ſuperiori ſeculo conſpicuos, Sebaſtianũ Erizzo Venetum, Annibalem Caro Parmenſem, Carolum Molſam Mutinenſem, Vincentium Pinelli Genuenſem; Marchionem Niccolini, & Carolum Strozza adhuc ſuperſtitem Florentinos, & nuper Vrbi, ac Muſis ereptum Caſſianũ à Puteo, alioſque magno numero proprijs iuxta ac his alienis veterum imaginibus inſignes. Tres certè hic omittere non poſſum, & genere claros, & Nummorum ſupellectile ac peritia in Vrbe celebres etiamnum ac florentes, Feliciam Rondinini, Parentis, & Filij purpura, ſed ingenij, ſapientiæ, & eruditionis dotibus lógè magis fortunatã; Camillũ Maximi, in quo antiquæ iuxta, & elegantes artes præclarum hoſpi-

tium,

tium, ac, præſidium habent; & Franciſcum Gottifredi, de quo plura dicerem, niſi hoc vnum ſufficere videretur, quòd omnis Antiquariorum Natio faſces illi meritiſſimè ſubmittat.

Nec extra Italiam veſtra m,minus, aut ſplendoris, aut dignitatis, hæc veteris æui memoria nacta eſſe videtur. ALPHONSVM illum minus ampliſſimo regno, quàm optimis artibus celebrem, collecta per Italiam Cæſarum Numiſmata, in eburnea arcula diligenter aſſeruaſſe, iiſque ſupra modum delectatum accepimus. Dignitate quidem inferiorem eadem dedit *Hiſpania*, ſed quem religio foret præterire hoc loco, Antonium Auguſtinum Tarraconenſem Archiepiſcopum, quo nemo adhuc forte felicius has artes excoluit, aut lucem iis, ac dignitatem ſuam luculentius adſeruit. Alios quoſdam dignatione præcipuos, vt Martinum Arragonenſem Ducem Villæ Formoſæ, & Ferdinandum Velaſco magnum nuper in Caſtilia Equitum Magiſtrum, addictos etiam huic elegantię, memorant docti aliquot Hiſpanię Antiquarij. *Germania* RODOLPHVM II. & FERDINANDVM II. CAESARES; LEOPOLDVM præterea Archiducem proximè defunctum, præclaros vtique, & luculentos huius induſtriæ vindices, & æſtimatores vidit. Plures ex eadẽ Gente ſe offerũt, & ſupremi quidẽ Ordinis Proceres, geminę laudis æmuli, ac inter alios

Extra Italiam

Anton. Panor. apopht. Alfóſ.

vid. Muſeo de la Medall. Hiſpan.

duo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

duo ſuperſtites, FRIDERICVS GVLIELMVS BRANDEBVRGICVS, & CAROLVS LVDOVICVS PALATINVS, Electores; de quo poſtremo plura dicerē hoc loco, niſi in eo Principis non ſolum, ſed etiam Domini perſonam reuererer. Hoc vnum modeſtiſſimè dicam, eum collectam à Maioribus lautiſſimam Nummorum veterum ſupellectilem, & noua ſubinde acceſſione locupletare, & præclarum his artibus, vt omnibus alijs egregijs, & laudabilibus, pretium inter paucos ſtatuere. Accedit hodie in eadē vicinia auitę Stirpis Princeps, DVRLACENSIS Marchio, quē ab annis aliquot eadem circa Nummos veteres cura, & ſollicitudo feliciter inceſſit. *Belgiū* ARESCHOTANI Ducis, in colligendis iiſdem operā, ac induſtriā ſingularem, Lipſii præconio iam olim laudatam celebrauit, vt ex edito, ac vulgato illorum Theſauro, cuiuis licet æſtimare. Læuinum etiam Torrentium meritis, & dignitate non incelebrem, alioſque eiuſdem tractus, cùm ſplendore munerum, aut natalium, tum his artibus claros, vel ex Huberti Goltzii teſtimonio, luculenter colligimus. *Gallia*, vt vetuſtiores mittam, Regium Principem, GASTONEM AVRELIANENSEM florentem nuper his artibus, in eaſque ſeriò incumbentem ſuſpexit. Vt iam de Briennæ Comite, Ioanne Triſtano, & viris felicis memoriæ Gulielmo Choul, Petro Petauio, ac Fabritio

Pei-

PeiresKio alijque præclaris in ea gẽte,& ampliſſimi Ordinis viris nihil dicam, qui in adſerenda, & excolenda id genus vetuſtate, egregiam, & luculentam operam poſuere. *Britannia* quoque eiuſdẽ gloriȩ æmula,& CAROLVM Regẽ nuper defunctum,hac omni veterum elegantia ſe oblectantem, & BuKingami Ducem, ac Arundellii Comitem, primarios Regni viros; Robertum item Cottonum, alioſque id genus ex equeſtri ordine, huius antiquariæ ſupellectilis ſedulos, & indefeſſos ſcrutatores, etiamnũ recordatur. Omnium verò inſtar hoc loco, CHRISTINA AVGVSTA, quæ vt ſuperiorũ ætatum decora, & artes, ita ſingularem quoq; huius elegantiæ amorem, & peritiam,ex vltimo Septentrione ſecum in Vrbem inuexit. Quod vt documentis aliis publicè, & benigna oris ſignificatione,mihi aliquotiens priuatim aperuit, ita incomparabilis in hoc genere Nummorum Theſaurus, ſummo ſtudio recens ab ea congeſtus, ad memoriam poſteritatis loquetur. Eant itaque venuſti, & elegantiores homines, qui contemtu, & ludibrio has artes,vt minus decoras, aut quaſi in ſitu, & ſquallore verſantes proſequuntur. Si tantis enim ac tam ſplendidis nominibus, &exemplis non aſſurgunt, nihil certè de huius induſtriæ Dignitate, de ſua verò exiſtimatione aut verecundia,aliquantum fortè detrahere cenſebuntur.

Nec

COMMENDATIO ALTERA A VOLVPTATE.

Nec inferiorem huic elegantiæ veteri commendationem, incredibilis quædam VOLVPTAS conciliat, Quàm innoxia enim illa, & multiplex! quàm ſuauis, & iucunda in Nummorum id genus contemplatione; vel ipſo adſpectu prodit ſeſe & oſtentat! Non hic ego illam intelligo, quæ ex *Materia* pretio vel pulchritudine exſurgit, quæ alias vel ſola in Nummorum tractatione, ſingulare quoddam habet lenocinium voluptatis. Feſtiua quidem illa apud Lucianum Mercurij ſollicitudo, qui dubius in quodam conſeſſu Deorum varij operis, & metalli, an materiæ vel artis prærogatiuam in iis ſpectaret, à Ioue reſponſum refert, æquiores quidem eſſe artis partes, auro tamen vel materiæ primas tribuendas. Mitto hæc aucupia, quibus aut vulgus, aut cum vulgo ſapientes animæ capiuntur, erectæ autem mentes moueri parùm conſueuere. Noſti vtique, quod fictiles olim Deos & Heroas, antiquiſſimi Maiores veſtri eadem religione coluerint, qua eorum poſteri aureos illos, æreos, & gemmeos quandoque (qualem Pompei imaginem in triumpho eius prælatam legimus) ſunt proſecuti. Vnde ferrei antiquorum Laconum, aut coriacei etiam priſcorum Romanorum Nummi, vix minorem hodie gratiam aureis & argenteis recentiorum temporum, apud veros harum rerum æſtimatores conſequerentur. Quamuis nec amouenda ſit ab

De Materia.

In IoueTragoedo.

ab hoc loco, vt indecora aut minus opportunā omnis eiuſmodi delectatio, dum vel Electri veterum, vel Aeris illius Corinthii, quo ad inſaniam vſque Romani veteres delectabantur, obuia adhuc in Nummis materia nonnunqum ſpectatur. Laudat alicubi Plutarchus æris in Statuis quibuſdam colorem floridum, ſitui ac rubigini non obnoxium. Talis vtique in hac veteri Nummorum ſuppellectile, cum ſingularis cuiuſdam venuſtatis laude, ſpectatores ſæpius afficit ac delectat. Ita vt hic quoque locum habeat, quod de cælatis operibus iam olim agnouit Plinius, *vt alibi ars, alibi materia eſſet in pretio*: immo vtraq; etiam manifeſta, & frequens in hoc cenſu arguatur. *De Pyth. Oraculo.* *Lib. 33. cap. 1*

Potiores tamen partes illa Artis commendatio ſibi vindicat hoc loco, quæ vt in omni elegantiæ genere ſpectabilis, ita hic quoque ſingularis, & admiranda frequenter occurrit. Meminiſti forte apud Dionem illum oris aurei, vt voluptatem ex conſpectu Statuæ Iouis Olympii ſuauiter alicubi extollat; vt non homines ſolùm, ſed bruta etiam illius ſpectaculo affici, immo afflictis malorum obliuionem conciliari ſtatuat; illamque virtutem incredibilem non auro, vel ebori, ex quibus conſtabat illud Phydiæ miraculum, ſed diuinæ cuiuſdam artis preſtantiæ continuò adſcribat; *tale lumen*, (vt Romanis eum verbis loquentem inducam,) *& tan-* *Ob Artis Præſtantiam.* *Orat. 37.*

ta gratia illi ab arte inerat. Nec mirabitur vſque adeo, qui nouerit haud aliam contemplationem, non huius ſolùm, ſed omnium retrò ætatum oculos vel mentes expleuiſſe lubentius, quàm vbi Ars ſuam cum Natura æmulationem, ad eiuſdem non ruinam, vel interitum, ſed reſtaurationem quandam, & propagationem, omni opera conuertit. Vnde factum, vt felix illa huius almæ Parentis imitatio dicam, an prouocatio, ad ſummum faſtigium paulatim euecta, in varias quoque ſimilitudinum formas, plaſticam; ſtatuariam; picturam; encauſticam; cælandi ſignandique artem, magno gentium conſenſu paſſim diffuſa fuerit, & traducta. Quum verò in quouis huius memoriæ genere, ſingularis veterum vel induſtria, vel felicitas fuerit, hinc non immeritò quidquid ex eo penu ad noſtra vſque tempora incolume tranſiit, ſummam iucundiſſimæ delectationis materiam præbet. In ea verò lauta, & beata ſupellectile, eò maiori quoque voluptate, aut admiratione continuò perfundimur, quò artis elegantiam maior quædam (qualis in Nummis occurrit) eiuſdem ſubtilitas probat. Adeo vt non extra dubium ſit omnino, quod apud Plinium iuniorem nuper legebam. *Lib. Epiſt. 1.* Statuas, Signa, Picturas, hominum decoras, animalium quoque & arborum, nihil magis quàm amplitudinem commendare. Nec enim aut Timanthi Cyclops, aut Myrmecidis

qua-

quadrigæ, aut Callicratis formicæ, aut Pauſii tabellæ, aliaque opera compendio minus quàm præſtantia artis, apud veteres celebrantur; vel inferiorem mole ſua ſpectabilibus Signis & Tabulis æſtimationem, ſunt conſecuta. Protogenis tabulam magnæ quidem amplitudinis, & elegantiæ, illis tamen Apellis ſummę tenuitatis lineis potiſſimùm nobilitatam legimus; & auctore eodem Plinio ſeniore, Phydiam npn magis Iouis illius Olympii, aut Mineruæ, ingentia ſimulachra, quàm in huius ſcuto Amazonum vel Gigantum cum Diis prælia expreſſa, & in ſoleis Lapitharum, & Centaurorum certamina commendarunt. Idem quoque Theodoro præſtantiſſimo artifici eueniſſe accepimus, *qui dum ipſe ſe ex ære fudit, præter ſimilitudinem mirabilem fama magnæ ſubtilitatis celebratur*. Enimuerò ſupremos quaſi artis conatus illa opera haud immeritò iudicarunt, in quibus plus intelligitur reuera quàm pingitur, & vt eiuſdem Auctoris verba huc detorqueam, quum ars ſumma ſit, ingenium tamen eſt vltra artem. Vnde Gigantum oſſa, aut Solis, vel Commodi Coloſſea capita minus fortè hodie nos delectant, quàm expreſſa horum in Gemmis & Numiſmatibus, exigua quidem illa, & tenuia, ſed ſingularis cuiuſdam præſtantiæ ſimulachra. Hinc de illis idem Plinius: *Gemmæ ſuperſunt & in arcta coarcta rerum naturæ maieſtas, multis nullaſui parte mirabilior*.

Lib. 36. cap. 5.

Plin. lib. 34. cap. 8.

Lib. 37. proœ.

Gemina verò planè hæc Nummorum laus, in quibus expreſſas iuxta, & coarctatas ſimilitudines varias, ſingulari cum voluptate, & induſtriæ non vulgaris commendatione, periti hujus arbitri & æſtimatores paſſim contemplantur. Quò referri poteſt illud Plutarchi, *ὥσπερ καὶ ἡ τοῦ νομίσματος ἀξία πλείστην ἐν ὄγκῳ βραχυτάτῳ δύναμιν ἔχει*, *ſicut Nummi etiam æſtimatio magnam in exiguo pondere vim habet*. Adeò vt in præſtantiores ex iis Nummos, optimè meo iudicio cadat, quod de quodam Apellis opere olim dictum, *plura oſtendere verius quam promittere*; immo fortè quidquid de vocali Memnonis ſigno; Hectoris apud Ilienſes ſtatua ſpectatores ad tangendum prouocante; Myronis aut Praxitelis operibus, tanquam ſpirantibus ſingulis; apud Plinium aut vtrumque Philoſtratum lego, & de quibus in genere diuinus Vates,

In Phocion.

In Iconibus.

Stabunt & parij lapides, ſpirantia ſigna.

Hanc laudem certè plurimi ſibi vindicant, etiamnum ſuperſtites Græcorum, & Siculorum vel inprimis, ac Italiæ veſtræ, vt Neapolitanorum, Poſidoniaton, Yeliton, & Tarentinorum Nummi, aliiq; venuſtate non minus, quàm vetuſtate ſpectabiles. Romanorum verò ea laus adhuc potior, quorum Nummi ab Auguſto ad Antoninorum vſque & Seueri etiam tempora, magna cum artis & elegantiæ admiratione, ac in omni metallorum genere varietate, intuentium

tium oculos oblectant. Infra eam ætatem elegantia illa, vt fateor, defecit,& vna quaſi cum Imperio Romano conſenuit; ita vt ab vſibus alijs potius, quàm ab elegantia commendationem mereantur ſequentium Cæſarum Numiſmata. Nec omni tamen voluptate ſpectatorem plane defraudant, qui delectum aliquem in ijs habendum meminerit, nec Nicomachum infeliciter fuerit æmulatus, *qui multas gemmas habuiſſe traditur, ſed nulla peritia electas*. Perierat Plinij tempore æris fundendi ſcientia, immo ars quoque argentum cęlandi, nec minus proinde eodem auctore, attritis etiam & quæ diſcerni non poterant, cęlaturis pretium & voluptas illa ætate conſtabat. *Plin.leg.37.c. 1.*

Eandem tamen ex Nummis delectationem, præter Materiæ, aut Artis elegantiam, quam poſtremam non omnes forte perinde capiunt, tot *Illuſtrium Imagines* in ijs conſpicuæ, mirum in modum augent, & extollunt. Nobilitata quidem legimus aliquot prętantiſſimorum Artificum opera, ſolis induſtriæ illecebris, niſi aliquis aut temulentæ mulieris, aut canis vel formicæ conſpectui, nouum aliquod & ſingulare voluptatis genus ineſſe arbitretur. At quàm decoræ, nec alibi etiam obuiæ contemplationis ſpeciem Nummorum Veterum tractatio, vel adſpectus prębet? Cũuenio hæc ego te, OCTAVI iucundiſſime, vtrum ſuauius aliquod ex omni ve- *Ob Imagines Illuſtrium.*

ni veterum Suppellectile ſpectaculum, aut mente poſſit fingi, aut oculis vſurpari, quàm omnis quaſi memoriæ Heroas, & illos Orbis olim Dominos, Nummorum beneficio ſuperſtites, & ſpirantes videre; vultus ſaltem illorum & ora, poſt toti ſæculorum decurſum, coràm adhuc intueri. Rudera vtique varia, aut aliæ vetuſtatis reliquiæ, quę certe non leuiter hic me delectant, præ hac tamen voluptate, vt ingenuè fatear, vileſcere mihi quodammodo videntur. Legiſti enim aliquoties, quæ anxia veterum cura & ſollicitudo fuerit, vt præſtantium Ciuium aut Deceſſorum ſuorum imagines domi haberent expreſſas; vt illo amiſſæ virtutis vel ſolatio, vel recordatione ſe oblectarent. Hinc illæ ſimilitudines, quæ primò, teſte Plinio, illuſtrem ob cauſam exprimi tantùm ſolitæ, propagatæ paulatim diffuſius; ita vt clarorum hominum effigies in Atrijs, Liminibus, Cubiculis, Bibliothecis, alijſque publicis, & priuatis locis certatim tandem aſſeruarentur. Adeò vt honorem illum non Clientes ſolum Patronis, Magiſtris Diſcipuli, aut Maioribus Nepotes, ſed priuatis etiam Principes frequenter exhiberent, quod *Lib. 7. c. 30.* Varroni ab Aſinio Pollione primum tributum narrat Plinius, & laudabili dein æmulatione ab ipſis quoque Cæſaribus nonnunquam factitatum accepimus. *Sueton. in Aug.* Commemoratur certe inter alia Auguſti decora, quod memoriam illorum

virorum

virorum, quibus Roma creuerat, impenſè coluerit, & Statuis aliaque ratione renouari curauerit. Quæ magnorum hominum reuerentia, Alexandrum Seuerum longius adhuc prouexit, qui non ſolùm Deceſſorum ſuorum, ſed Ciceronis, Virgilij aliorumque id genus Semonum imaginibus, ſacra etiam facere conſueuerat. Haud minus flagrarunt hoc ſtudio, duo clariſſima litterarum & Vrbis lumina, Varro & Atticus, qui præſtantium Virorum imagines, libris ſuis complexi leguntut, vt poſteris conſpiciendi traderentur. Nec te effugit opinor, vt geminum illud ſtudium in Capitone ſuo extollat alter Plinius: *Eſt*, inquit, *omnino Capitoni in vſu claros colere, mirum eſt qua religione, quo ſtudio imagines Brutorum, Caſſiorum, Catonum domi vt poteſt habeat*. Immo non amicorum ſolum aut benemeritorum Ciuium, ſed infenſiſſimorum etiam hoſtium memoriæ pari ratione nonnunquam conſultum liquet, qui non vnam Annibalis effigiem Romæ extitiſſe accepimus. Ita vt non mirum amplius videatur, quod de Epicuri, diſcipulis narrat alicubi Tullius, eos Magiſtri imaginem in Tabulis, Annulis, Poculis expreſſam habuiſſe.

Ael. Lãprid. in Alex. Seu.

Lib. 1. Epiſtol.

Lib. 5. de Finib.

Nec inanis vtique ea Voluptas, quæ in magnorum hominum contemplatione poſita, aut vacua pulcherrimo fructu cenſeri debet. Conſulere maiorum imagines Pætum ſuum iubet

alicubi

alicubi Tullius, vt virtutis incitamentum, & gloriæ præmium. Vnde laudatus ille paulò ante Alphonſus, Cæſaris adſpectu ex Nummis non oblectari ſe ſolùm mirum in modum, ſed ad virtutem quoque continuò accendi prædicabat. Si claudicantis enim cuiuſdam apud Syracuſanos Statua, ita afficiebat ſpectatores, vt vlceris dolorem ſentire viderentur, potior certè hic quædam voluptatis ratio, & commotio animorum aliquanto opportunior, in tot Heroum, quos Nummi exhibent, adſpectu occurrit.

Meminiſti differentem in Academiæ ſpatijs Ciceronem (libenter enim Principis ingeniorum, tibique familiaris auctoritate vtor, & exemplis) quantum affici ſolitus fuerit conſpectu illorum locorum, in quibus clari homines multùm fuerant verſati. *Venit enim* inquit, *mihi Platonis in mentem, quem accepimus primum hic diſputare ſolitum; cuius etiam illi hortuli propinqui, non memoriam ſolùm mihi afferunt, ſed ipſum videntur in conſpectu meo ponere. Hic Speuſippus, hic Xenocrates, hic eius auditor Polemo, cuius ipſa illa ſeſſio fuit, quam videmus*. Fatetur etiam ibidem illud vſuuenire, vt acrior quædam, & attentior, ob memoriam locorum, de claris viris ſubeat cogitatio; & refert ſe Metapontum aliquando profectum, non ante ad hoſpitem diuertiſſe, quàm Pythagoræ locum, vbi vitam ediderat, eiuſdemque ſedem vidiſſet. Nec

De Finib. lib. 5.

diuerſum

diuerſum tale quid ad Vrbem adeuntibus quotidie contingit, ſi qui veteris memoriæ planè non ſunt incurioſi, qui quod ille de Athenis, ita quocunque hîc ingrediuntur, in aliquam hiſtoriam veſtigium ponere non ignorant; Hîc Scipio, hîc Cæſar, curru Capitolium ingreſſi; hîc Tullius pro Roſtris perorabat. Quod ſi tamen res accuratius ſubducatur, quis non illud imitationis ſtudium, quod in hoc ipſo ſpectaculi genere requirit ibidem Tullius, contemplationi vultus eorundem hominum, potius quàm nudæ loci memoriæ, aut ſedilis adſpectui tribuat? quorum alterum nullum rei geſtæ veſtigium, aut aliquam viri notitiam præbet; alterum ipſum Auctorem præclari facinoris, aut conſilij, verè in conſpectu ponit, *ſic vultus ſic ora ferebat*. Neque enim quempiam opinor, thorax vel equus fortis ducis inſpecti (qui tamen ad victoriam monumentum aliquod conferunt) ad bellicam virtutem accendet, vt Ipſius ducis armati & equitantis poſita ob oculos effigies; neque etiam Pythagoræ ſedes, vt ſedentis eiuſdem in Nummis habitus, ſapientiæ amorem valebit excitare. Nec id diffitebitur omnino, qui expreſſam intuebitur in monumentis id genus, ipſam antiquæ clarorum hominum virtutis; & magnitudinis imaginem. Quo in loco ſubit me recordatio Phœnicij illius apud Philoſtratum, qui in Vinitoris cuiu- *In Heroicis.*

E ſdam

res nonne hîc paſſim, & frequentius etiam in Nummis ſpectauimus? Illi ſunt vtique, quorum conſpectu cupidi talium maximè ſe oblectant; immo quorum beneficio Roma priſcos *Ciuium* ac *Dominorum* vultus dememiniſſe non poteſt. Hinc illi contemplari etiamnum & agnoſcere conceditur, magnanimos ſuos Iulios, Auguſtos, Traianos, Conſtantinos; truces Caligulas, Nerones, Domitianos, Caracallas; ſuſpicaces Tiberios; mites Titos, Neruas, Antoninos; molles Othones, Commodos, Elagabalos; vniuerſam denique Cæſarum ſeriem, familiam, indolem. Nec *Auguſtarum* adſpectu minus fortè delectatur, dum obuiæ eidem in Nummis occurrunt erecti vultus Liuiæ, Octauiæ; infauſti Agrippinę: inuerecundi Meſſalinæ, Poppęæ, Fauſtinæ; probioris Sabinæ, Mæſæ, Mammęæ; & vt alterius Romę faſtigia hîc non omittam, ſanctioris adhuc oris, Helenæ, & Eudoxiæ. Mitto primos *Conditores* ſuos ac *Reges*, Romulum, Numam, Ancum Martium, Seruum Tullium; quorum priores ex ingenio artificum effictos, ſupra ex Tullio tradidi. At enim ſequentium temporum, ac Reipublicę decora, Nummi verè nobis repræſentant, Regulos, Marcellos, Scipiones, Seruilios; & libertatis ipſius Numina, Brutos, Catones, Caſſios; & nominis magnitudini pares Syllas, Pompeios; & Qui-

Cæſares. *Auguſtæ.* *Reges.* *Illuſtres.*

ritium olim amores, Druſos, Germanicos; & Ciuium faſtigio maiores Antonios, Lepidos, Agrippas, pari ſtudio ac felicitate, quâ olim ille ſupra laudatus iunioris Plinij familiaris, colere etiamnum ac domi habere conceditur: Adeo vt hoc demum impleuerint id genus Numiſmata, quod de Varronis opere has ipſas Illuſtrium Romanorum imagines complexo, augurabatur Plinius maior; *inuentione muneris etiam Dijs inuidioſus, quando immortalitatem non ſolum dedit, verum etiam in omnes terras miſit, vt præſentes eſſe vbique & claudi poſſent.* Quis verò tam inficetus adeò & inurbanus, qui leue id Nummorum beneficium arbitretur, aut pulcherrimæ voluptatis vſu carere, præclarum & conſultum ducat?

Lib. 35. c. 11.

Ob alia argumenta Nummorum

Nec tot alia *priſci æui Veſtigia*, quibus præter Effigies id genus, Nummi veniunt inſigniti, leuiori gaudio ſpectatorem perfundunt. Hîc enim non ſus fortè aut pecus, vel ratis, aut nauis etiam roſtrum ſolùm ſeſe offerunt; quibus notis ſignatos antiquiſſimos Romanorũ Nummos accepimus. Longè potior voluptas ex Nummis florentis Reipublicæ, & ſequentium temporum, quales hodie tractamus, exſurgit; quàm præter commemoratam ſupra antiquitatis commendationem, argumenti varietas, & illecebræ abunde conciliant. Indignabatur quidem Zeuxis, quod argumẽti nouitatem, non ar-

Lucian. in Zeuxi.

tis

diuerſum tale quid ad Vrbem adeuntibus quotidie contingit, ſi qui veteris memoriæ planè non ſunt incurioſi, qui quod ille de Athenis, ita quocunque hic ingrediuntur, in aliquam hiſtoriam veſtigium ponere non ignorant;Hic Scipio, hic Cæſar, curru Capitolium ingreſſi; hic Tullius pro Roſtris perorabat. Quod ſi tamen res accuratius ſubducatur, quis non illud imitationis ſtudium, quod in hoc ipſo ſpectaculi genere requirit ibidem Tullius, contemplationi vultus eorundem hominum, potius quàm nudæ loci memoriæ, aut ſedilis adſpectui tribuat? quorum alterum nullum rei geſtæ veſtigium, aut aliquam viri notitiam prębet, alterum ipſum Auctorem præclari facinoris; aut conſilij, verè in conſpectu ponit, *ſic vultus ſic ora ferebat*. Neque enim quempiam opinor, thorax vel equus fortis ducis inſpecti (qui tamen ad victoriam momentum aliquod conferunt) ad bellicam virtutem accendet, vt ipſius ducis armati, & equitantis poſita ob oculos effigies; neque etiam Pythagoræ ſedes, vt ſedentis eiuſdem in Nummis habitus, ſapientiæ amorem valebit excitare. Nec id diffitebitur omnino, qui expreſſam intuebitur in monumentis id genus, ipſam antiquæ clarorum hominum virtutis, & magnitudinis imaginem. Quo in loco ſubit me recordatio Phœnicij illius apud Philoſtratum, qui in Vi- *In Heroicis.*

nitoris cuiuſdam deſcriptione, Palamedem, & reliquos belli Troiani Duces, quaſi præſentes videre ſeſe, & agnoſcere prædicabat. At certè luculentius Nummi id præſtant, in quibus non Athletas in Olympicis victores; non Rhetores, aut Sophiſtas; non de Vrbe ſolùm aliqua benemeritos Ciues, quibus ſtatuas, aut imagines olim decretas, apud Pauſaniam alioſq; legimus; ſed clariſſimos omnium ætatum Imperatores, populorum Duces, & conditores Gentium, licet etiamnum obſeruare. Hic enim occurrunt, *Macedonum* Amyntæ, Philippi, Alexandri, Perdiccæ, Antipatri, Antigoni, Demetrij, Caſſandri, Philippi poſteriores, & Perſei; hoc eſt, præcipua Regum apud eos ſeries; *Aegyptiorum* Ptolomæi dicti, Soteres, Philadelphi, Philopatores, Euergetes; *Syrorum*, ac *Phoenicum* Antigoni, Seleuci, Antiochi, Demetrij, Tryphones; ijque Soteres, Callinici, Nicatores, Dionyſi, Magni, Dij, Epiphanes, Euergetes Commageni; *Ponti* vel *Boſphori* Mithridates Euergetes, & Eupatores, Pharnaces, Aſandri; *Bithyniorum* Nicomedes, Pruſiæ; *Cappadocum*, Archelai, Ariobarzanes, Ariarathes; *Thracum* Lyſimachi, Rhoemetalces; *Pergamenorum*, Philetæri, Attali; *Siculorum* Hierones, Gelones, Dionyſij, Agathocles, Hieronymi; *Epirotarum* Pyrrhi, Alexandri; *Carthaginenſium* Amilcares, & Hannibales; *Cyrenarum* Ptolomæi; [a] *Numidarum* Iugurthę; *Mauretа-*

Reges, & Duces in Nummis.

[a] *In Nummis Sylla.*

retanorum Iubæ; *Sicyoniorum* Arati; *Cariæ* Mauſoli; *Oeſrenorum* Abgari; *Armeniorum* Tigranes; *Parthorum* etiam Arſaces, & Vologeſi. Inurbanus ſit certè; & omnis expers innoxiæ voluptatis, qui ad tot Regum, & auguſtorum vultuũ conſpectum, tangi ſeſe continuò intimi gaudij ſenſu non agnoſcit. De me equidem memini, ad inſolitum me tanquam, & incredibile ſpectaculum exilijſſe propemodum, quum id genus Heroas ac Duces, ex priſca Annalium memoria haud ignotos, in inſtructiſſimo talibus maximi Principis muſeo, oculis mihi arbitrari primùm licuit. Mitto *SemiDeos* alios, ac antiquiſſimos Vrbium *Conditores* aut *Benefactores*, Caſtores, Herculem, Minoa, Hectorem, Diomedem, Cyrum, Eurypilum, Byzam, Tarantem, Solymum, Cyzicum, Soſandrum, Pergamum, Tmolum, Tomum, Docimum, Nemauſum, aliosque plures, quos *Heracleenſium, Cnoſiorũ, Ilienſium, Aetolorum, Cyrrethum, Byzantinorum, Tarantinorum, Cilicum, Cyzicenorum, Smyrnæorum, Pergamenorum, Sardianorum, Tomitanorum, Docimenſium, Neumaſenſium* nummi, mihi aliquoties in Italia veſtra inſpecti, ad poſteritatis memoriam etiamnum tradunt. Mitto præterea clariſſimas, & e Reginarum quidem ſerie *Foeminas*, Berenicen, Arſinoen, Philiſtidẽ Amaſtridẽ, Cleopatram non vnam, & earum faſtigio minorem, nec minus tamen celebratam Sappho.

In Theſauro Numiſmatũ Ser: Elect. Palatini.

Conditores, aut Benefactores Vrbiũ.

Fæminæ Illuſtres.

Nec enim ſceptris ſolum, & rebus geſtis inclytos, ſed pacis etiam & ingenij artibus ſpectatos vultus, Nummi aliquot ſelectiores nobis exhibent. Ita priſcos illos *Legislatores*, Zaleucum, Charondam, Pittacum, Lycurgum, in vetuſtiſſimis *Locrorum*, *Catanæorum*, *Mytilenæorum*, & *Laconum* Nummis adhuc hodie videmus expreſſos. Nec minori certè voluptate afficient inſpecti in Nummis *Samiorum* Pythagoras; *Tarentinorum* Archytas; *Syracuſanorum* Archimedes; *Megarenſium* Euclides; *Laodicenſium* Dracus; *Mytilenæorum* Alcæus; *Teiorum* Anacreon; *Coorum* Hippocrates; *Colophoniorum* Pytheus; *Magneſiorum* quoque Marcus Tullius. Ouidium quin etiam & Pollionem *Menandri* cuiuſdam *Parraſii* induſtria ad noſtra vſque tempora, in duobus æreis nummis, feliciter tranſmiſit; quorum alterum in CHRISTINAE AVGVSTAE Theſauro; alterum te duce, apud Feliciam Rondinini, præſtantiſſimam Matronam, inſpexi; quem etiam in nouiſſima Naſonis ſui editione expreſſit Vir eximius, & huius antiquitatis ſtudioſiſſimus, Nicolaus Heinſius noſter. Pollionis quidem Nummum nomine Vedij ſignatum, non diffiteor à quibuſdã ad Auguſtum referri; quod nouiſſimè etiam Petro Seguino, clariſſimo Galliæ antiquario, placuiſſe animaduerto; quum ego tamen Franciſco Gottofredi, optimo talium arbitro, in alia diſceden-

Legislatores.

Sapientes, aut artibus clari.

Epiſt. ad Franc. Gottofred.

ti

ti haud difficulter accedam. Nec enim mirum, aut inſolitum videri debet hunc honorē Aſinio Pollioni *Cæſareæ* tributum quam Vrbem ab Herode magno conditam, vel reſtauratam nouimus, quem Romæ Pollionis hoſpitio vſum, & principem amicorum eundē habuiſſe, apud [a] Ioſephū legiſſe memini. Homerum præterea hic mitto, quem *Amaſtrianorum* aliquot, & *Chiorum* etiam Nummi, ſed non vno vultu exibent, ita vt præ viri vetuſtate ad artificis ingenium effictum, Plinio alicubi id aſſerenti, fides omnino ſit præſtanda. Quod etiā aliquot vetuſtioribus ſupra traditis Heroum aut Philoſophorum vultibus accidiſſe, haud immeritò crediderim; qui morem illum non Romæ ſolùm receptum ex Plinio noui, ſed alibi etiam, & Athenis quidem vſurpatum, vbi Aeſchilis imaginem in Theatro diu poſt eius obitum factam, ex Pauſania didici. Quod ipſum clarius alias tangit eximius Ciceronis locus, vbi argumentum à Deorum imaginibus petitū refellens Academicus; ita vlterius perſtringit: *Nam quid eſt quod minus probari poſſit, quàm omnium in me incidere imagines, Homeri, Archilochi, Romuli, Numæ, Pythagoræ, Platonis, nec ex forma qua illi fuerunt. Quomodo illi ergo, & quorum imagines? Orpheum Poetam docet Ariſtotiles nunquam fuiſſe & hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cuiuſdam Cecropis. At Orphëus ideſt imago*

Goltzij nūmus præfert Græcè Vedius Pollio, Ser: Reginæ tantùm, Pollionis, vt ad Aſinium Pollionem potius referri debeat

[a] *lib.* 15. *c.* 13

lib. 35. *c.* 2.

In Atticis.

lib. 1. *de Nat. Deor.*

eius,

eius, vt vos vultis, in animum ſæpe incurrit. Non piguit locum integrum adtuliſſe, quẽ ante dies paucos, oblata fortè de hoc veterum more cum induſtrio antiquario controuerſia, obiter adlegaſſe memini. Huc vero referri etiam debent Nummi illi ærei maximi, & rudioris ac minus vetuſti operis, vulgò *Contorniati* Antiquarijs dicti; in quibus idem Homerus, Pythagoras, Socrates, Diogenes, Milo, Salluſtius, Virgilius, Horatius, Seneca, Apollo Thyaneus, Apuleius, aliique id genus iam olim expreſſi occurrunt. Amouendi verò ex hac ſerie nouitij illi Nummi & moderni inuenti, Dido, Priamus, Menelaus, C. Marius, Scipio Africanus, Hannibal, Marcellus, Cicero, Virgilius, & Auguſtæ aliquot apud Aeneam Vicum depictæ, in quibus nempe, nec veri, nec vetuſtatis vlla ſeſe offert commendatio. Quod vt obuium rei Nummariæ veterum vel leuiter peritis, non monerem hoc loco, niſi tyronibus, & minus exercitatis, fucum in his quotidie fieri, non ſemel animaduertiſſem. Hanc vero voluptatem, ex omni illa contemplatione ortam, vel Fuluij Vrſini Illuſtrium Imagines abundè prędicant, quorum pars præcipua ita è Nummis expreſſa, vt altera locupletior ex adductis obiter Græcorum aut Barbarorum vultibus, erui adhuc poſſit, & ad publicam elegantiam exponi.

Romani in Nummis.

Maiores autem veſtros, illos terrarum Recto-

res

res nonne hic paſſim, & frequentius etiam in Nummis ſpectamus? Illi ſunt vtique, quorum conſpectu cupidi talium maximè ſe oblectant; immo quorum beneficio Roma priſcos *Ciuium* ac *Dominorum* vultus dememiniſſe non poteſt. Hinc illi contemplari etiamnum & agnoſcere conceditur, magnanimos ſuos Iulios, Auguſtos, Traianos, Conſtantinos; truces Caligulas, Nerones, Domitianos, Caracallas; ſuſpicaces Tiberios; mites Titos, Neruas, Antoninos; molles Othones, Commodos, Elagabalos; vniuerſam denique Cæſarum ſeriem, familiam, indolem. Nec *Auguſtarum* adſpectu minus fortè delectatur, dum obuiæ eidem in Nummis occurrunt erecti vultus Liuiæ, Octauiæ; infauſti Agrippinæ; inuerecundi Meſſalinæ, Poppææ, Fauſtinæ; probioris Sabinæ, Mæſæ, Mammææ; & vt alterius Romæ faſtigia hic non omittam, ſanctioris adhuc oris Helenæ, & Eudoxiæ. Mitto primos *Conditores* ſuos, ac *Reges*, Romulum, Numam, Ancum Martium, Seruum Tullium; quorum priores ex ingenio artificum effictos, ſupra ex Tullio tradidi. At enim ſequentium temporum, ac Reipublicæ decora, Nummi verè nobis repræſentant, Regulos, Marcellos, Scipiones, Seruilios; & libertatis ipſius Numina, Brutos, Catones, Caſſios; & nominis magnitudini pares Syllas, Marios, Pompeios; & Quiri-

Cæſares.

Auguſtæ.

Reges.

Illuſtres.

tium olim amores, Marcellos, Druſos, Germanicos; & Ciuium faſtigio maiores Antonios, Lepidos, Agrippas, pari ſtudio ac felicitate, qua olim ille ſupra laudatus iunioris Plinij familiaris, colere etiamnum ac domi habere conceditur. Adeo vt hoc demum impleuerint id genus Numiſmata, quod de Varronis opere has ipſas Illuſtrium Romanorum imagines complexo, augurabatur Plinius maior; *inuentione* *lib.35.c.11.* *muneris etiam Dijs inuidioſus, quando immortalitatem non ſolùm dedit, verum etiam in omnes terras miſit, vt præſentes eſſe vbiq; & claudi poſſent.* Quis verò tam inficetus adeò & inurbanus, qui leue id Nummorum beneficium arbitretur, aut pulcherrimæ voluptatis vſu carere, præclarum & conſultum ducat?

Ob alia argumenta Nummorum. Nec tot alia *priſci æui Veſtigia*, quibus præter Effigies id genus, Nummi veniunt inſigniti, leuiori gaudio ſpectatorem perfundunt. Hic enim non ſus fortè aut pecus; vel ratis, aut nauis etiam roſtrum ſolùm ſeſe offerunt; quibus notis ſignatos antiquiſſimos Romanorũ Nummos accepimus. Longè potior voluptas ex Nummis florentis Reipublicæ, & ſequentium temporum, quales hodie tractamus, exſurgit; quam præter commemoratam ſupra antiquitatis commendationem, argumenti varietas, & illecebræ abunde conciliant. Indignabatur qui- *Lucian. in Zeuxi.* dem Zeuxis, quod argumẽti nouitatem, non ar-

tis

tis præſtantiam in ipſius Tabulis laudarent ſpectatores, quorum vtrumque pari, vt iam intelligimus, iure, licet in Nummis id genus æſtimare. Quid iucundius enim homini veteris memorię non planè incurioſo, quàm priſcos illos rerum dominos, modò ſacra facientes cum omni ſacrorum apparatu & ſupellectile; modò vota ſuſcipientes pro ſalute Principum, aut imperij æternitate; modò diſtribuentes donatiua & congiaria; modò onera, & debita publica remittentes; modò Annonam procurantes; modò Circenſes aut Seculares ludos, vario ſpectaculorum genere, celebrantes; modò Templa, Portus, Thermas, Circos, Theatra, Vias, Aquæductus, Arcus, aliaque victura opera molientes aut amplientes; modò peragrantes, & reſtituentes Prouincias; modò deducentes Colonias; modò Libertatem publicam adſerentes; modò Abundantiæ, Felicitati, Lætitiæ, Securitati denique Temporum, varia ratione conſulentes; omnibus denique Pacis artibus florentes, intueri? Quid ſuauius iterum, quàm eoſdem militari gloria conſpicuos, aut ad Expeditionem accinctos; aut proficiſcentes ad Exercitum; aut adloquentes è ſuggeſtu milites; aut Fidei iuſiurandum ab ijs exigentes; aut Diſciplinam reſtaurantes; aut captiuos Reges, & proſtratas ad ipſorum pedes Prouincias oſtentantes; aut Regna adſignantes; aut ſublimes in triumphali

curru, & à Victoria coronatos; aut gratulantem illis aduentum Romam, vel aliam quamuis Orbis partem; aut eoſdem denique poſt impletum mortalitatis terminum, Diuorum honoribus decoratos intueri. Mitto varium adhuc ſpectaculum, quod inſuper omnigena Nummorum Græcorum, & Romanorum ſupellex præbet, Deorum ſimulachra; Herculis labores; Vrbium inſignia; Fluuiorum figuras; Prouinciarum effigies; Animalium formas; Plantarum imagines; Armorum genera; Legionum nomina; Veſtium ſpecies; Coronas omnis generis; alia denique de quibus opportunior adhuc in ſequentibus dicendi erit locus. Quis autem non gemina voluptate afficiatur, in contemplanda expreſſa tot pulcherrimarum, & reconditarum in Nummis rerum effigie, qua Lucianus olim Rhodi picturas in Porticu depictas aſpiciens, tangebatur, *quam ex contemplatione*, *In Amoribus.* inquit, *capiebam*, *heroicas illas fabulas memoria repetens*. Ego equidem, quid honeſta ſit ac ſuauis animorum remiſſio non intelligo, ſi illam non prouocat eiuſmodi contemplatio, quæ res tot Annalium curam meritas, nobis aliquãto maniſtius ob oculos ponit. Immo eò magis innoxia ex hoc monumentorum genere, quàm ex illis petenda, quò eiuſmodi delectatio, turpi ſpectaculo fœdæ voluptatis, ſęuitiæ, inſaniæ eorumdem temporũ, & hominum quandoq; nõ inquinatur.

Nec

Nec tamen laus ſua illi cõtemplationi, ac decus abunde conſtaret, niſi ex ea non ſolùm mirifica quædam oblectatio, ſed VTILITAS etiam incredibilis emergeret. Hanc enim Philoſophiæ legem tradit eleganter Themiſtius, nihil omninò ſolius oblectationis gratia perficere, ſed vbique cum eo quod iucundum eſt, vtile quoque admiſcere. Neque Sapientis id ſolùm, ſed Artificum etiam proprium agnoſcit Tullius, qui negat Phidiam, Polycletum, Zeuxidẽ ſuas artes ad voluptatẽ direxiſſe; & alibi etiam has ipſas veteris memoriæ reliquias, ad nudam earum notitiam transferre, vocat curioſorum. Eam verò Vtilitatem, multiplex illa tot rerum, quas modo enumeraui, in Nummis Veterum ſupellex, & tot eximia conſignatæ in ijs vetuſtatis veſtigia, vel me tacente, arguere ſatis & prædicare videntur. Adeò quidem, vt hæc res nemini poſſit eſſe dubia, niſi qui eadem opera, omnem priſci æui notitiam aut ſuperuacuam, aut à ſe alienam putet. Immo eò felicius huius ſtudij vſum, & præſtantiam quiſque intelligit, quò interioribus veterum litteris magis inſtructus, ad Nummorum id genus tractationem accedit. Ita enim lucem omni præclaræ, aut reconditæ Antiquitati; facem Hiſtoriæ aut Geographiæ veteri; integritatem mutilis vel corruptis Auctorum locis, non aliunde certius, aut luculentius peti fatebitur.

TERTIA COMMENDATIO AB VTILITATE.

Orat. 12.

De Finib. l. 2.

De Finib. l. 5.

IN GRAMMATICIS.

Ac primò quidem ipſa ſeſe offert Litterarum Doctrina, quocunque tandem *Technices*, aut *Exegetices* nomine, Grammaticorum filijs nuncupetur. Seu enim genuinas litterarum apud veteres formas ac ætates, ſeu earum vim & affectiones varias, ſeu ipſam vocum ſcriptionem ac proprietatem conſulamus, non aliundè nobis certius, quàm in Nummis aut Marmoribus antiquis,præſidium occurrit. Nec certè ratio hic aut euentus fallit. Subſidia quippe reliqua,dubiam ſemper tranſſcriptorum Exemplarium fidem, hæc autem ſola primigeniam Autographorum dignitatem præ ſe ferunt.Norunt preterea, qui ſcriptos veterum libros verſant, quàm corrupti ſint non ſolùm, ſed recentiores plerique, pauci admodum ſupra octingentorum aut mille ad ſummum annorum vetuſtatem aſſurgant. Pandectas Florentinos,Virgilium tum Medicæum, tum Vaticanum, Terentium Politiani iudicio omnium Codicum à ſe inſpectorum antiquiſſimum, Verſionem LXX. Interpretum, & Gloſſaria aliquot Bibliothecæ Palatinæ, magna quidem cum vetuſtatis veneratione, Florentiæ, & hic in Vrbe non ſemel inſpeximus. At eoſdem tamen infra Iuſtiniani æuum (vt largiamur aliquot illi coętaneos, aut paulò forte vetuſtiores) longè certè infra Nummorum vetuſtatem, qui fermè hic deficiunt, exaratos, cuiuis obuium fit ac mani-

fe-

feſtum. Vnde ſola quædam hic ſupereſt ad primæuam illam & incorruptam Nummorum, ac Lapidum auctoritatem prouocatio decretoria, Criticis & Grammaticis maiorum Gentium, haud ſemel feliciter vſurpata.

In tradendis certè aut explicandis *Litterarum* apud veteres *formis*, vnicum, & ſingulare occurrit monumentorum id genus beneficium. Nec leue illud eſſe reputandum, & doctiſſimorum huius æui Virorum, quæ in hac paleſtra ſe exercuit induſtria, & res ipſa loquitur. Hinc enim & indubiæ linguarum origines, & primæ litterarum formationes, & varia ætatum diſcrimina, & innumeri librariorum aut quadratariorum errores, aliaque recondita eruditæ vetuſtatis arcana feliciter eruuntur. Adeo vt quæ in hoc genere, ab eruditis aut præclarè reperta, aut timidè pronunciata, aut perperam etiam tradita, lucem continuò ex Nummis, aut emendationem mutuentur. Ita Alphabeti veteris Græcorum cum Phoenicio collatio à magnis viris inſtituta, procedet ſecurius, vt ſingularum litterum apices, & ductus originis ſuæ fidem faciant. Inde incautius loquutum patebit Virum Cl. in Notis ad Inſcriptionem Herodis Attici, qui formas litterarum Græcarum ſemel à Ionibus receptas, perpetuò in eadem facie ad noſtra vſque tempora manſiſſe, nihilque in ijs immutatum contendit. Atqui vel Græcorum

Circa Formas litterarum Græcarum, & Latinarum.

Num-

Nummos conſulenti, non vna certè, ſed diuerſa variarum litterarum facies, ac pro ætatum diſcrimine, multiplex in ijs formarum mutatio & varietas occurret; dum non ſolùm ε pro E, ſed Ξ pro Ζητα, Γ pro Π; C & [pro Σιγμα; ω pro maiuſculo Ω, aliaq; id geuus frequenter ſeſe offerunt. Vt mittam quadrata ⊟ pro Θητα, & □ pro Ομικρον quæ mihi in Nummis necdum obſeruata, in marmoribus aliquot Farneſianis, & Magni Hetruriæ Ducis, non ſemel inſpeximus. Antiquiores etiam Græcorum litteras, non *numero* ſolùm, vt contendit eodem loco Cl. Salmaſius, ſed *forma* etiam ab hodiernis diuerſas, præter vexatum de litteris Ionicis Herodoti locum, luculenta duorum teſtium auctoritate liceat mihi comprobare. Prior eſt Dio Chryſoſthomus, qui in templo Iunonis Olympiæ viſum à ſe raptum Helenæ inſculptum refert, cum addita inſcriptione, ἀρχαίοις γεάμμασι exarata. Alter eſt Philoſtratus, qui antiqua Eretriorum apud Medos ſepulchra, Græcis litteris, ſed quales alibi non videntur, inſcripta commemorat. Inde errare etiam patebit, qui Ξ pro ζ apud veteres vſurpatũ credidere, quum pro ζητα (quod ab illuſtri Scaligero in accurato ſuo Diagrammate prætermiſſum) non in antiquiſſimis ſolùm marmoribus Arundellianis, ſed aliquoties in veteri Nummo ΚΥΞΙΚΗΝΩΝ, & in altero CHRISTINAE AVGVSTAE, in voce ΞΗΝΟ

Orat. XI.

De vit. Apol. lib. I.

Animad. ad Euſeb. MDC, XVII.

NOC.

NOC, aliiſque id genus legatur. Quod cautè tamen accipiendum, ne quis cum doctiſſimo Seldeno, alterum Ζῆτα ſolenne, multò recentius putet; quum frequens illius vſus in antiquiſſimis Nummis, ΑΙΖΑΝΕΙΤΩΝ, ΖΕΦΥΡΙΩΝ, &c. paſſim occurrat. Falli præterea ex Nummis patebit eruditos, qui C altero Σίγμα vulgò vetuſtius ſtatuunt; quod ex quodam Agathonis apud Athæneum loco, à Viris Cl. Ioſ. Scaligero in Euſebianis, & Iſaaco Voſſio ad Melam, eruditè iam obſeruatum vidi. Nec id tam arcus Scythici argumento, quàm indubia teſtium fide, mihi fit manifeſtum, qui in ampla illa Græcorum Nummorum copia, Σ paſſim in antiquioribus obſeruo, alterum verò C rarius ante Domitiani tempora vſurpatum, ſequentium demum ætatum proprium & peculiare. Vnde malè vir doctiſſimus ad Ammianum C ab Agathone tanquam vetuſtum Græcorum σίγμα deſignari credidit, aut Scaligerum reprehendit arguentem Ciaconium, qui Stibadium ſimile dixerat arcui Scythico. Stibadium enim nihil aliud quidem quàm illud σίγμα ſub C figura traditum, ſed infra Agathonis ætatem vſurpatum, vt ad illud Poeta non reſpexerit illo apud Athenæum loco. Ⲉ verò aliud *ſigma* adhuc recentius, quamuis non ſolùm ſub Philippo Imperatore, cuius Nummum adfert Scaliger, fuerit receptum, ſed iam ante in aliquibus Antoninorum

Anno ad Marſeil. lib. 22.

Nu-

Numiſmatibus occurrat. Lapſum verò hic patet eundem Scaligerum, qui S Latinorum, Græcorum etiam litteris inſertum olim credidit, fide Nummi inſcripti ΑΔΡΙΑΝΟΣ SEMNOS KAICAR. Atqui eadem ratione non illud S ſolùm ſed L R V, aliaque Romanis propria, inter ſolennes Græcorum litteras referre potuiſſet, quæ frequentet in Græcorum Nummis ſub Cæſaribus cuſis occurrunt, vt ANTΩNINOS; LIΘ; LEON BASILEVS ROMEON; EVPVΠVΛOC; AYΓVCTOS; ZEVS CMYYPNAIOC; aliaque id genus plurima. Factum id verò, non quod illæ litteræ in Alphabetum Græcorum eſſent vnquam admiſſæ, (hoc enim omnes Nummi veteres conſtanter explodunt) ſed ex frequenti vtriuſque linguæ commercio & commixtione, & maximè Romani ſermonis, ſimul ac imperij ſub Cæſaribus amplitudine, Vnde non litteræ ſolùm, ſed voces integræ Romanorum cum Græcis mixtæ nonnunquam & confuſæ, idque frequenter in Coloniarum Nummis, vt in KAPPHNΩN ſub Traiano Decio; COL. AVR. KAP KOMM. P.F. in alio Ilienſium, ſub I. Cæſare BIΣNEΩKORΩN in altero Claudij KAICAP. ET.H. CAESAREAE. Idem quoque in lapidibus frequenter obuium, vbi præter crebras Romanorum voces periodi etiam integræ Græcis litteris expreſſę, non ſemel leguntur. Ita vel Ⅎ inverſum digamma à Clau-

dio

dio receptum in Romano Alphabeto, de quo Tacitus, Suetonius, & Quintilianus meminere; in Nummo eiuſdem Claudij occurrit, quem huius antiquariæ ſupellectilis ſtrenuus indagator Petrus Seguinus nuper illuſtrauit. Multa etiam id genus alia in Romanorum litteris poſſent ex Nummis erui, in quibus ex leui etiam litterarum diſcrimine A E & V ac ſimilibus, de ipſa ætate plurimarum Inſcriptionum, & omni ſcripturæ veteris ratione, ſecurè poteſt pronuntiari. Vt iam mittam, V antiquam fuiſſe Romanorum litteram; & C apud priſcos Romanos G vicem ſerius recepti impleuiſſe, quod Gellius aliique tradidere, & Nummi maximè fidem faciunt, quod occupauit iam in ſuis Dialogis vir ſummus Antonius Auguſtinus.

Circa litteras Phœnicum.

Immo non Romanorum ſolùm aut Græcorum litteræ, ſed antiquiores etiam *Phœniciæ*, illarum archetypæ, ex Nummis luculenter poſſunt illuſtrari. Tales vtique occurrunt plurimi Punicis, aut Phœniciis litteris ſignati, tum in Africanis nummis Carthaginis, alijſque & Hiſpanicis præterea nonnullis; tum Siculis Drepanorum, Panormitarum, Syracuſarum, Dionyſij; tum in Phœniciis Tyri, Sidonis, aliiſque, quos partim Vrſini imagines, & Parutæ ac Leonardi Auguſtini Sicilia, partim maiori adhuc numero Principum, & Antiquariorum Theſauri aſſeruant. Ita vt ex ijs demum

petendum videatur, quæ forma Phœniciarum aut Punicarum litterarum olim fuerit; an aliquod inter illas, Aſiaticas nempe, & Africanas diſcrimen; an cum Samaritanorum litteris plane eædem, quod à Viris longè doctiſſimis extra controuerſiam poni video; an denique Græcorum litteræ, Phœnicijs illis, vel Samaritanis planè ſimiles, an verò longè diuerſæ, vt Cl. Salmaſio placuiſſe memini. Quum enim vix alia quod ſciam, aut vetuſtiora veteris ſcripturæ Phœniciæ ſuperſint veſtigia, nec Moſchi Sidonij, aut Sanchoniatonis Phœnicia monumenta liceat hodie conſulere; non immeritò horum Numiſmatum fide, tanquam præſentibus tabulis, de omni hac præclara, & recondita materia tranſigi poſſe videtur. Ex quibus itaque haud indubiè mihi liceat colligere, priſcas Phoenicum litteras, ad Hebraicam magis, aut Chaldaicam, quam vocant formam, quàm ad Samaritanicam deflectere, multumque diſcriminis inter poſtremam hanc, & Phoeniciam ſcripturam obuerſari. Id vtique manifeſtum varios vtriuſq; caracteris Nummos excutienti, quales certè plurimos arbitrari mihi non ſemel, & exſcribere etiam licuit. Vel fidem faciet vetuſtus nummus Sidonis, Phoeniciæ olim Metropolis & alter Tyri in quo expreſſum ipſiſſimum Tyri in Sacra ſcriptura nomen qui an Hebreæorum, vel Samaritanorum characteres referant,

In Theſauro magni Ducis Hetruriæ.

cui-

cuiuis inſpicienti obuium fiet ac manifeſtum. Nec arguet forte aliquis, poſt Aſſyriaci characteris vſum ab Eſdræ temporibus, vt vulgò exiſtimant, apud Hebræos receptum, geminam quoque priſcarum litterarum mutationem vicinis Phœnicibus potuiſſe quoque contingere. Præterquàm enim, quod & diuerſa hic ratio vtriuſq;gentis fuerit, nec minus id incurrit in doctiſſimorum virorum ſententiam, qui ex hac ipſa Hebraici caracteris mutatione,ab eo tempore immane aliquod diſcrimen inter Phœnicum, & Hebræorum litteras, Auguſtini etiam æuo exſtitiſſe,credidere. Non diffiteor equidem Punicos Africæ, Siciliæ, aut Hiſpaniæ etiam Nũmos,à Phœnicijs Tyri, & Sidonis numiſmatibus, aut Hebræorum etiam vel Chaldæorum primæuis litteris, diuerſos caracteres non ſemel præferre. Hanc differentiam vel mutationem obſeruaſſe iam olim animaduerto,doctum Hiſpanum, qui patriæ ſuæ antiquitates eruditè congeſſit, & in eruendis Punicis eiuſdem tractus litteris,non ignobilem operam poſuit.Nec mirum vtique, aut inſolitum videri debet, decurſu temporis, & locorum mutatione, Punicis litteris contigiſſe, vt earum figuræ apud barbaros interpolatæ, à prima origine non parùm deſciuerint; ita tamen vt non incommodè ex eadem poſſint illuſtrari. Id enim nouimus, cùm paſſim apud gentes alias cultiores vſuve-

Bern. Aldret. Antiquid. de Eſpan.

niſſe, tum Græcis ipſis in patrio ſolo contigiſſe, vt ſupra demonſtraui. Ignoraſſe verò obſeruo, hanc in Nummis ſuperſtitem Phœnicij, & Punici caracteris ſupellectilem, Virum Germanorum hodie eruditiſſimum, qui figuras litterarum Punicarum, & modum omnem ſcriptionis plane interijſſe credidit, exceptis aliquot Carthaginenſium Nummis. Sed maius ludibrium debent, ij qui aut Tabulam Eugubinam apud Gruterum Punicis litteris exaratam, aut Punicas litteras ad lubitum effictas, vel è Græcis expreſſas nobis aliquoties obtruſere. Verùm hæc obiter, & ad alia properantes, qui ſupremum taliũ arbitriũ doctiſſimo Bocharto vltrò deferimus, qui ad Punica illuſtranda omni alio ingenij, eruditionis, & ſolertiæ incredibilis, ſolo hoc Nummorum pręſidio deſtitutus acceſſit. Ex quibus præterea adſertam ſibi luculenter in præclaro opere Phænicij ſermonis, cum Hebraico affinitatem probaſſet vlterius, nec minorem primigenijs his, & genuinis illius linguæ reliquijs illuſtrandis, quàm ſparſis, aut interpolatis apud Græcos, & Latinos auctores vocibus eruendis, curam impendiſſet. Nec enim amouenda ab hoc loco Nummorum id genus vetuſtorum, & optimæ quidem notæ auctoritas, cui in adſerenda Samaritanici caracteris vetuſtate primas, & ſolas quaſi partes vulgò ſolent tribuere.

Thom. Reines de ling. Pun.

Theſ. Ambroſ. Inſtruct. delle lingue ſtraniere.

Quum

Circa litteras Hebræorum, & Samaritanorum.

Quum enim Phœnicij,non ſolùm, ſed tum *Hebraici*, tum *Samaritani* etiam Nummi occurrant,ex ijs controuerſia non leuis de vtriuſq; ſcripturæ antiquitate, & prærogatiua, inter harum litterarum principes agitari conſueuit. Adeò quidem vt in eo, quod hinc pendet examine, de ſacro, & primæuo veteris Fœderis caractere, pars vtraque ad Nummos continuò ſoleat prouocare. Horum certè fiducia Scaliger aliique prementes eadem veſtigia, Villalpandus, Cappellus, Morinus, & Vuoltonus nouiſſimè in Apparatu Bibliorum Londinenſium, hodiernæ Samaritanorum ſcripturæ patrocinantur; immò omnem hanc litem veterum Nummorum, quos exhibent, fide omnino confectam volunt. Memini equidem, quum ante tria luſtra, puer etiamnum de illo argumento publicè aliquid poſt eximium Virùm, Ioannem Buxtorfium, cum aliqua doctorum venia commentarer, Virum quendam doctiſſimum ad quem miſeram præcocem illum foetum, vel ſolo Nummorum teſtimonio probari ſibi impugnatam mihi Scaligeri,& Capelli ſententiam, blandis alias litteris ſignificaſſe. Quum tamen altera ſententia à me tum adſerta, præter rationes, & auctoritates alias, Nummorum etiam veterum patrocinium obtendat; quum Samaritanorum (quales certè plurimos ab eo tempore hic in Vrbe, & Florentiæ inſpexi alibi

euul-

euulgandos) recentiores plerique videantur, aut dubiæ admodum vetuſtatis; & præterea antiqua Phœnicum in Nummis ſcriptura longius ab illis diſcedat, Hebraicę vix fermè diſſimilis, ijſdem adhuc, aut fortioribus etiam telis liceret fortè prius iudicium propugnare. Sed hoc iam non agimus, aut huius rei arbitrium magnis vtrinque auctoribus ſubnixæ, volumus hic nobis vindicare. Illud ſaltem hinc abundè manifeſtum, quæ ſingularis ſit Nummorum veterum auctoritas, & prærogatiua, quorum teſtimonio de litteris Moſi à Deo traditis, & primæua, aut antiqua Veteris Inſtrumenti ante Eſdram ſcriptura, viſum eſt eruditis omne litis arbitrium deferre.

Circa ſcribendi rationem. Vnum præterea nec ingratum, vt opinor, Phœniciæ originis, non in litteris ſolùm Græcorum, ſed in *ſcribendi* etiam *ratione*, monumentum, lubet hic ex Nummis accerſere. Notum Phœnices, vel teſte Herodoto, iuxta moré Hebręis, Syris, Arabibus, alijſq; Orientalibus vſitatum, dextra ſiniſtram verſus litterarum ductus inſtituiſſe. Eandem quoque ſcripturæ rationem in antiquis aliquot Gothorum ſaxis, annotauit antiquitatis patriæ reſtaurator Olaus Vuormius. Id autem alias à Græcis omiſſum, vt motui naturali minus conſentaneum, aut alijs de cauſſis, quas nihil attinet hoc loco commemorare. Antiquiſſima tamen illius Phœnici, moris veſtigia nonnulla ob-

Litter. Run. cap. 5. & 25.

obſeruarunt iam eruditi, in ea Græcorum ſcriptura βυστροφηδὸν dicta, quæ ex parte eam referebat, & qua Solonis olim Leges, & Inſcriptio quædam Olympica apud Pauſaniam, deſcripta leguntur. Aliud prætcrea huius rei exemplum idem auctor mihi ſubminiſtrat, qui antiquæ Agamnenonis Statuæ, nomen à dextra in læuam excurrentibus litteris inſcriptum fuiſſe alibi obſeruat. Sed clariora adhuc hodie, & genuina eiuſdem æmulationis argumenta ſeſe offerunt, in antiquiſſimis aliquot Græcorum Nummis, & Siculorum vel maximè, in quibus, ΣΑΛΕΓ pro Γελας, ΝΟΙΑϘΕΜΙ, pro Ιμεραιον, ΝΩΙΑΤΣΕΓΕΣ pro Σεγεσταίων, ΝΩΙΤΝΩΝΙΛΕΣ Σελινοντίων, aliaque id genus Phœnicum more ſiniſtrorſum non ſemel ſcripta leguntur. Hoc autem non temerè hic à me obſeruari intelliget, qui præter Cadmæam litterarum Græcarum originem, Phœnices tot annos Siciliam inhabitaſſe, vel apud Thucydidem legit, adeò vt nullibi plura illius linguæ aut gentis ſuperſint veſtigia. Quod ipſum de hac inſula. Vir doctiſſimus in reconditæ eruditionis opere, alicubi affirmat; *Itaque Phœnicum ibi veſtigia pene tam multa, quàm in ipſa Phoenice.* Alicubi quoque nonnulla eiuſdem ſcripturæ exempla ſeſe offerunt, vt in Nummo Epheſiorum Magni Ducis ΝΩΙΣΕΦΕ ΣΙΜΕΤΡΑ Ἄρτεμις Ἐφεσίων, & quibuſdam id genus, quod caſu etiam non-

Eliac. 1.

In Præfat. Colon. Phœn.

nun-

nunquam potuiſſe contingere, haud difficulter largiar. Hinc ſaltem Nummos veterum tractantes, litterarum in ijs apices, & ductus diligenter excutere meminerint, ne quod aliquibus accidiſſe memini, pro Græcis litteris auerſis, peregrinas nobis, & exoticas confidenter obtrudant. Quæ res etiam fefellit Virum de hac antiquitate optimè aliàs meritum, Iohannem Triſtanum, qui in Nummo quodam Cęſareæ, *Coloniam* illam pro Flauia, Alphæam dictam feſtiuè comminiſcitur, errore ex litteris ΑΛΦ. in Nummo inuerſis pro ΦΛΑ, ſeu Flauia; id enim nomen illi Vrbi adhęſiſſe, ob deductã in eam Coloniam à Veſpaſiano, vt vel Plinius docere illum potuiſſet, & alij Nummi oſtendunt. Nec abſimili ratione, plurimos in tractandis Inſcriptionibus Græcis verſatos noui, dum vel in auerſas id genus, aut inverſas etiam litteras incidunt, quales vel Eugubini Tabula ſubminiſtrat, in quibus tradendis ad barbaras litteras parùm opportunè nonnulli confugerunt.

Com. Hiſtor. T. II.

De priſcis litteris aut Nũmis Hiſpanicis.

Quo loco etiam de *priſcis Gothorum*, aut *Hiſpanorum litteris*, non inutilis, aut iniucunda ſeſe offert diſquiſitio. Quum enim plurimi Nummi tum ærei, tum argentei rudioris aliàs operis, & ignotis vt plurimùm litteris ſignati occurrant, & in Hiſpania vel maximè, hinc no, vna de iis occurrit Antiquariorum ſenten-

tia.

tia. Antonius Auguſtinus præter Punicos. & Gothicos Hiſpaniæ Nummos, aliquot ex ijs veteri patriæ linguæ caractere exaratos credidit. Olaus Vuormius diuerſam ſententiam amplexus, eoſdem à Gothis in Hiſpania ſignatos, & clara litteraturæ Gothicæ vel Runicæ argumeuta præferre exiſtimat. At rurſus viri docti, qui non ita pridem in illuſtrandis Nummis patrijs verſati, Antonii Auguſtini prementes veſtigia, omnes id genus peregrinis aut barbaris litteris inſculptos, priſcis Hiſpanicis annumerant. Vnde quum apud Liuium, *argenti Oſcenſis*; & *ſignati Oſcenſis* ab Oſca antiqua Vrbe Hiſpaniæ denominati, mentionem non ſemel iniectam reperiſſent, Nummos illos argenteos in Hiſpania obuios, in quibus paſſim equus cum iaculo decurrens cernitur, pro illo priſco *ſignato Oſcenſi* protulêre. Rationes verò quibus nituntur, petitæ aut e numero, & multitudine Nummorum, qui in Hiſpania quotidie effodiuntur; aut e caracteribus ignotis; aut e communi illo in iis Symbolo equitis decurrentis. Hæc autem, vt ingenuè fatear, percuſſos quidem in Hiſpania Nummos id genus, ſed non ab Oſcenſibus magis, quàm à Gothis Hiſpaniæ per tot annos incolis, ſuadere mihi, & euincere videntur. Potior illa auctoritas aliquanto, meo iudicio, quam ex Oſcæ Nummis ſub Auguſto & Tiberio ſignatis, & ex Hi-

Dialog.6.

*Litter. Runic. cap.*10.

Vide Muſeo de las Medall. Eſpan.

Lib. 34. & 40.

ſpanico familiæ Afraniæ apud Fuluium Vrſinum numiſmate oſtendunt, cum eadem capitis imberbis & decurrentis equitis in altera parte effigie, & ignotarum in iiſdem litterarum figura. Quod ipſum firmare videntur, quę de non vna litterarum forma apud Hiſpanos veteres, priſci auctores tradidêre, ex quorum numero Strabo, illos nec vno ſcribendi genere, nec vna lingua vſos iam olim adſeruit. Si tamen meum qualecunque iudicium liceat hic obiter interponere, aliquot ex iis ad Punicos veteris Hiſpaniæ Nummos, plęroſque autem rudiores ad Gothicos eiuſdem tractus referre conſultius exiſtimarem. Neque enim ſoli Gaditani, aut vicini tractus Nummi, Punicis accenſendi, vt ſtatuunt Viri docti, quaſi Pœnorum in Hiſpania imperium & lingua non vlterius ſeſe diffuderit. Vtriuſque verò veſtigia non in Bætica ſolùm, ſed Tarraconenſi etiam Prouincia obſeruarunt eruditi, & vel vna Carthago noua, Poeni Amilcaris in eadem opus, abundè oſtentat. Gothis verò adſcribendos plęroſque illos argenteos cum equite decurrente, aut geminis ſymbolis, potius quàm antiquis Oſcenſibus, multa ſuadere mihi videntur. Talia nempe, diuturna Gothorum in Hiſpania ſedes, quæ litteras eorum & linguam in eandem inuexit, & eam Nummorum id genus copiam in eodem tractu ſubminiſtrat; cùm

Lib. 3.

Vid. Sam. Boch. de Colon. Phoen l. 1. c. 35.

cùm adſpectus in iis rudioris & recentioris operis, & cum Gothicis aliis Nummis Galliæ aut Italiæ conſenſus; tum plurimarum litterarum cum Runicis aut Gothicis affinitas. Neque obſtare debet haud diſſimilis figuræ, cum priſcis aliquot Hiſpaniç nummis contemplatio, quum pateat ad inſtar bigatorum & denariorum veterum, aliorumque id genus priorum temporum, aureos & argenteos Gothorum nummos paſſim percuſſos. Talium certè ingentem quandam copiam, cùm alibi, tum maximè in Theſauro Sereniſſimi Electoris Palatini tractare mihi non ſemel licuit. Neque tamen hęc à me adferuntur, vt me moroſum aut iniquum alterius ſententiæ patronis præbeam.

Circa litterarum Affectiones & Permutationes.

Litterarum etiam *affectiones* varias in earum alternatione vel permutatione, nummi ſuppeditant, quę ad ſcripturę veteris rationem adſequendam, immane quantum conferunt. Nec enim hic, quod vulgò nonnulli exiſtimant, caſui continuò, aut errori adſcribenda plurima, quæ in iis à recepto ſcribendi vſu aliena ſępe videntur. Confuſas enim nonunquam; & permutatas varias litteras apud ipſos veteres licet obſeruare, cùm ex fontibus aliis, tum vel maximè ex ſcripturę veteris veſtigiis, aut recentioris additamentis, aut pronuntiatione litterarum ſimilium inter ſe & adfinium. Primò

quidem ex *ſcripturæ veteris veſtigijs*, vt in variis Grecorum nummis frequens E pro H, vt ΜΕΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, ΑΘΕ, pro ΑΘΗΝΑΙΩΝ; item I pro Υ in ΚΙΖΙΚΗΝΩΝ; ο pro ω, in ΙΜΕΡΑΙΟΝ; ΗΡΟC in Nummis Antinoi, & in altero Salaminæ ΕΥΡΥΠΥΛΟC ΗΡΟC. Ita Diphtongi ſæpius omiſſæ vt I pro ΕΙ, Ο pro ΟΥ. Ratio autem petenda ex Platone, Athenæo & priſcis Grammaticis, qui talem Scripturam Græcis olim vſitatam tradunt, antequam ſexdecim litteris, quibus conſtabat vetus Alphabetum à Cadmo inductum, octo à Ionibus adderentur. Vnde e poſt eaſdem litteras in communi vſu receptas, diu etiam & ab Atticis maximè in monimentis publicis antiquior ſcribendi ratio vſurpata, quod & rectè agnouit alicubi Salmaſius, in eo licet deceptus, quod ὑψιλὸν vetuſtis illis ſexdecim litteris Cadmæis inſerat; quam litteram tamen à Palamede ex gruum volatu repertam & prioribus additam tradunt veteres, & ipſe in ſuperioribus etiam agnouerat. Sed de his aliàs, qui in illa diſputatione de priſcis Græcorum litteris ab eodem contra Scaligerum inſtituta, repugnantia id genus varia, & minus accurata eidem feſtinanti excidiſſe, pluribus hic poſſem euincere. Quod verò hic magis ad rem facit, ſcripturæ illius, quam modò notabamus, veſtigia, non in Nummis ſolùm, ſed in Lapidibus etiam

In Cratylo.

In Notis ad Inſcrip. Herod. Att.

etiam & Membranis aliquot antiquiſſimis occurrunt, qualem in Gloſſario Bibliothecæ Palatinæ hic in Vrbe inſpeximus. Ita apud Romanos pari ratione κ pro C, C pro G, & E pro Diphtongo Æ, aliaque eiuſdem generis in Cæſarum Nummis, iuxta & Saxis non ſemel leguntur; ex priſca ſcribendi apud eos conſuetudine retenta. Secundò *ex recentioris Scripturæ additamentis*, vt H viciſſim pro E in Nummo ΗΛΕΙΩΝ ΕΙ pro Ι in ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙΤΩΝ, ΤΟΠΕΙΡΟΥ, Ω pro Ο in ΩΡΘΩΣΙΕΩΝ alibi ΟΡΘΩΣΙΕΩΝ; Ζ pro Σ in ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ. Hoc enim poſtremũ caſu non cõtigiſſe, abũde licet ex Lucano colligere, apud quẽ in feſtiuo litterarũ Dialogo, Σίγμα queritur de illa vi ſibi facta à Ζῆτα in hac ipſa voce Σμυρναίων, δεῖ πᾶσαν, inquit, ἀφελομένῳ τὴν Σμύρναν. Vnde etiã præter Nũmũ Magni Ducis ita inſcriptũ, & in vna Inſcriptione Græca apud Gruterũ, quod in Indice præternmiſſum, alijſq; quibuſdã Latinis ZMYRNAEORVM, in altera etiã Athletica Romæ nuper cum geminis alijs reperta hæc vox cũ eadem ſcribendi ratione occurrit. Iones nempe poſt additas id genus litteras prioribus ſexdecim, & Alphabeti viginti quatuor litterarum inſertas, eaſdem poſtea tanquam proprias libenter quauis occaſione admiſere, vnde pręterea O in OV; T in Θ, & K in X, ſæpe ab illis alijſque conuerſa, vt ex priſcis Nummorum

pag. 314. 1.

et La-

Digitized by Google

& Lapidum monimentis non obſcurè licet etiamnum colligere. Tertiò *ex pronuntiatione litterarũ inter ſe affinium aut ſimilium*, ex quibus frequentẽ & promiſcuã multarũ litterarum cõmutationẽ, tum alibi, tũ in Nũmis maximè licet obſeruare. Ita id crebrò accidit Γ, & N, quæ eũdẽ ſonũ ante K efficiunt, vndè ſæpius ANKYPA ΣΥΝΚΓΛΗΤΟΣ præferunt, quæ aliàs in iiſdẽ ΑΓΚΥΡΑ ΣΥΓΚΛΗΤΟΣ ſcribi ſolẽt. Ita N in M finale & K in Γ conuerſa in vetuſtiſſimis Marmoribus Arundellianis videre eſt, & quò referri etiam poſſunt exempla ſuperius allata ex Nummis, vbi E pro H, O pro Ω, I pro EI aut viciſſim occurrunt. Huc ſpectat etiam illa in Romanorum aliquot Nummis ſcriptura, vt V pro B DANVVIVS in Nummo pulcherrimo Traiani; V pro O in altero Coloniæ LAVDICEON & LAODICEON; O viciſſim pro V in Nummis I. Cæſaris; DIVOS IVLIVS, eadem ratione qua CONSOLES, HERCOLI aliquoties in ſaxis; X pro S vt in nummo familiæ Seſtiæ SEXTIVS, & lapidibus MILEX TIGRIX; S poſt X PAXS in quatuor Nummis æreis Galbæ; Vitellii, Veſpaſiani & Domitiani, ſicut in lapidibus CAPPADOXS, FELIXS; P in B vt FORTVNA OPSEQVENS in Nummo Antonii Pii, & in Marmoribus APSENS, OPSIDES. Sic E longum

cum

cum duobus apud antiquiores ſcriptum reperies, vt FEELIX in Nummo Syllæ; Ita geminum A in antiquis aliquot nummis, vnius producti vicem obtinet, vt in VAALA, VAARVS. F verò pro P H crebrò vſurpatum patet in Scriptura ſequioris æui, ex duobus Nummis Aereis maximis *CHRISTINAE AVGVSTAE*, vno Numeriani, TRIVMFVS QVAD. altero Honorii, TRIVMFATOR GENTT. BARBAR. Immo eandem etiam ſcripturam præfert Nummus Domitiani apud Occonem, IOVI IVVENI TRIVMFATORI.

Huc referri etiam debent *Compendia ſcribendi* apud veteres vſitata, ex peculiari quadam litterarum inter ſe copularione. Talia certe plurima in vetuſtiſſimis Græcorum iuxta & Latinorum Nummis occurrunt, quibus Scripturæ apud veteres ratio non parum etiam illuſtratur, Singularis id genus artificii ductus, maximè in aliquot Tyri, Amiſi, Panormi, aliiſque ineditis Græcorum Nummis notaui ſæpius, in quibus quinque & ſex litteræ in vnam eleganter combinatæ & contractæ ſeſe offerunt. Nec prȩter vſus alios, inanis ea obſeruatio illis videbitur, qui ex antiquis litterarum id genus compendiis, aut non intellectis aut neglectis, plurimos Librariorum errores paſſim in priſcos auctores irrepſiſſe, aut Inſcriptio- *Circa compendia ſcribendi.*

ptio-

ptiones varias perperam hactenus traditas compertum habent. Ita illud compendium litteræ 8 pro ου diphtongo, non ſcripti ſolùm Græcorum libri, ſed Nummi etiam aliquot preferunt, vt recentiorum ſeculorum librariis, origo illius imputari nõ debeat. In nũmis certè Alexãdri Seueri reperio, ΤΥΧΗ ΚΑΡΧΕΔΩΝ & in altero Gordiani ΜΟCΩΝΙΟΥ ΙΕΡΕΩC ΝΥCΑΕΩΝ vt apud Erizzum videre licet.

Circa Ortographiam. Sed præter has litterarum apud veteres tum *formas*, tum *affectiones* varias, quibus nimium fortè immoramur, ipſa vera & recta ſcribendi ratio, vulgò *Ortographia*, non aliunde rurſus ſecurius, quàm ex Nummis aut Lapidibus petenda. Nec enim alia ſuperſunt, vt ſuperius monebamus, in quibus integra & primæua veterum ſcriptura ad noſtra vſq; tempora ſit tranſmiſſa. Vnde hoc ipſum ſingulare Nummorum beneficium, & eruditi vno ore prædicant, & ii ipſi agnoſcunt, qui monumenta id genus parcius alias attigêre. In Nominibus quidem propriis, aut appellationibus hominum & locorum tradendis, certa quedam & obuia iis ex Nummis lux adfulget, aut medicina parata. Ita Reginæ Deorum SISPITAE cognomen adheſiſſe, quod perperam quibuſdam ſollicitare placuit, aut in SICISPITAM transferre, ratiora quædam Antonini Pii numiſmata oſtendunt, cum Inſcriptione IVNONI SISPITAE.

Si

Siſpes nempe antiquis idem quod ſoſpes, vnde clarè in hanc rem Feſtus; *Siſpitam Iunonem, quā vulgò ſoſpitam appellant, antiqui vſurpabant.* Ita enim legendum, non *ſoſpitam*, & *ſoſpitem*, vt libri editi vulgò præferunt, apertè hic Nummus docet. Vt mittam leuius illud, IVPPITER cum duplici P. perpetuò in Nummis tradi; aut cognomen Herculis DEVSONIENSIS iuncta voce, non duabus DEVS ONIENSIS, vt exiſtimabat Goltzius, quod iam ad Sidonium vidit doctiſſimus Sirmundus. Mitto *Topicas* alias *Deorum*, *Dearumque* appellationes, de quibus infra opportunior dicendi erit locus.

*I*n Barbarorum verò, Romanorumque Nominibus, multa corrupta hactenus apud Auctores tradita, veterum nummorum fide reſtituenda, qualia ΜΙΘΡΑΔΑΤΗΣ, pro quo vulgò ille terror Maiorũ veſtrorum, Μιθριδάτης apud *I*oſephum, Plutarchum, Appianum, Dionem, alioſque adhuc hodie legitur. Annotauit id iam olim ad Dionem ex nummis Vir doctus, neque tamen cum eo improbanda continuò Romana Mithridatis appellatio, vbi nec nummorum, nec lapidum, nec ſcriptorum librorum auctoritas eam conuellit, & eandem præterea firmare videntur geminæ formationis exempla, quæ in ijſdem nummis Ἀκράγας, Κατάνη, Μασσαλία, *Agrigentum*, *Catina*, *Io. Leuncl. ad Dion. p. 1011.*

& *Maſſiliæ*, ſuppeditant. Sic *Seleuci*, & *Demetrij* ΝΙΚΑΤΟΡΕΣ dicti ex nummis, vt rectè Strabonis & Appiani Codices præferunt, non verò *Nicandres*, vt cùm apud Goltzium, tum apud Ioſephum, alioſque vſurpari conſueuit. Thraciæ etiam Regis verum ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ, ſeu *Rhæmetalcis* nomen vna cum vultu eruitur ex nummo Augusti, (Triſtano iam ante) & mihi tùm Florentiæ, tum hic in Vrbe inſpecto, quod perperam apud Dionem alioſque hactenus traditur. Vnde & Ῥυμητάλκης Roberti Stephani ad Dionem, & ad Capitolinum Caſauboni Ῥυμετάλκης, eadem opera exulare iubentur. At enim Regi Regum *Vologeſi* genuinum nomen reſtituere mihi liceat, auctoritate eximij & rariſſimi nummi, Romæ non ita pridem reperti, in quo ΒΟΛΑΓΑΣΟΥ ſcriptum occurit, vnde corrigendi iterum *I*oſephus, Dio alijque, apud quos vel Βολογαίσης, vel Βολογέσης, vocari ſolet, & apud Xiphilinum Οὐολόγαισος, nomine ad Romanam Vologeſis appellationem formato. De tota vero præclari illius nummi inſcriptione paullo infra. *Abgari* etiã familiare Edeſſæ Regulorum nomen Αβγάρου, non vt hodie apud Appianum Αὐγάρου vel apud Dionem, & Herodianum Αὐγάρου, ſcribendũ; nec vt alij voluerunt *Abagarus*, aut apud aliquot Taciti codices *Abbarus*; nummi Antonini Pij, Seueri & Gordiani, in quibus ΑΒΓΑΡΟϹ

ΒΑϹΙΛΕΥϹ

BACIΛEVC abundè docent, quales etiam CHRISTINAE AVGVSTAE & Magni Ducis Theſauri aſſeruant. Vt mittam inſcriptionem à Sirmondo, in votis ad Sidonium vulgatam, cum eodem nomine Ἀβδάρυ; & antiquiſſimum Euſebij codicem Bibliothecæ Mazarinę; Vnde miror nuperum Euſebii editorem, qui principatum hodie harum litterarum cum paucis tenet, & cui hæc eadem erant perſpecta, quam olim Ἀγβάρυ ad Dionis Excerpta lectionem adſeruerat, paſſim etiam in Euſebiano textu et in Annotatis prætuliſſe; quamuis et alteram *Abgari* non contemnendam fateatur; & vna etiam, aut altera vice in textũ Euſebii admiſerit. Neque enim video, cur promiſcua Reguli illius Scriptura in eodem Auctore tradi debuerit, aut cur Nummorum, Lapidum, & Codicum etiã vetuſtorum auctoritate firmata, pluribus libris manu exaratis, non debeat hic longè præponderare. Argumentum enim à voce quadam Arabica ἄκβαρος quod potentiſſimum notat, non eam vim habere poteſt, vt indubia & coæua teſtimonia, quæ vulgò lites id genus ſolent decidere, & in tradendis priſcæ ſcripturæ veſtigiis, omnium confeſſione primas tenent. Vt mittam Orientalium, aut Barbarorum nomina Græcè tradita ab origine paſſim nonnihil deflectere, vt ſexcentis exemplis probari id poſſet, & præter recentiores, à Plu-

lib. de Iſid, & oſir, tarcho iam olim obſeruatum noui. Nec ignotum alias varia *illuſtrium Romanorum* nomina apud Auctores antiquos paſſim ex nummis emendanda; vt *Meſcinius*, non *Meſſinius*; *Arrius* non *Arius*; S.*Saranus*, non *Serranus*; *Naſſica*, *Meſſalla*, cum duplicitatis litteris; *Betilienus Baſſus* pro *Bellienus*; *Tampius* pro T. *Ampius*, aliaque id genus plurima, quę in Ciceronis, aliorumque Codicibus corrupta vt plurimũ leguntur. Idem verò Cæſaribus aliquot beneficium nummi præſtant, quorum auctoritate *Hadrianus* non *Adrianus*, vt vulgò tamen doctiſſimorum virorum editiones Hiſtoriæ Auguſtæ præferunt; P.*Heluius Pertinax*, non P. *Aelius*, aut *Helius* vt præter alios ad Euſebium exiſtimat Pontacus; *Marcus Clodius Pupienus*, non *Caius Maximus Clodius Pupienus*, vt contendebat ad Capitolinum Salmaſius. Iis poſſunt accenſeri *Cælius Balbinus*, non *Clodius Balbinus*; *Opelius Macrinus* non *Opilius*, aut iuxta alios *Popilius*; *Odenathus*, non *Odenatus*; *Postumus* non vt vulgò *Poſthumius*; *Bonoſius* non *Bonoſus*; *Vetranio* non *Veteranio*, cui tamen patrocinatur ad Ammianum doctiſſimus Valeſius; et alia quadam id genus, quæ vt in re magis obuia, præripuit nobis non vnius antiquarii diligentia. Ita ex iiſdem nummis accepimus *Delmatium Cæſarem*, non *Dalma-*

tium

tium , vt vulgò apud Auctores, Gordianum *Antonium* non *Antoninum* , vt volebat Capitolinus . Quibus accedunt ex Auguſtarum ſeriẽ *Matidia* non *Mattidia* ; *Iulia Soæmias* non *Soemiamira*; *Conſtantina* Galli vxor, non *Conſtantia*, vt apud Zozimum tamen alioſque vocatur. Sic vexatum eruditis nomen alterius Antonini *Elagabalum* ſcribendum, & apud Herodianum , alioſque reſtituendum , pro quo *Heliogabalum* vulgò , vel *Alagabalum* cum Onuphrio , obtruſere. De quo nomine non hic repetam, quæ in Annotatis ad *I*uliani Cæſares, contra doctiſſimorum virorum ſententiam olim monuimus. *I*pſa verò *Geographica* Vrbium, aut Regionum nomina fœdè paſsim in libris veterum corrupta, quam ex Nummis, vel lucem, vel medicinam mutuentur, infra ſuo loco trademus. Vt iam alia hic non adferam, *adloqui*, & *adlocutio*, *adſignare* , *adſerère*, *Conlegium*, *Fecunditas*, & *Felicitas* ſine diphtongo, contra *ſæculum* (non vt quibuſdam modernis Criticis placuit *ſeculum*) Romanorum more ſcribenda. *I*ta certè nummi conſtanter, ADLOCVT*I*O, REGNA ADS*I*GNATA , ADSERTOR L*I*BERTAT*I*S, COOP. *I*N CONL. ſeu cooptatus in Conlegium; FECVND*I*TAS AVGVSTA ; SAECVLI vel TEMPORVM vel AVGVSTI FELICITAS , & SAECVLARES

RES LVDI, aut SAECVLVM AVREVM, vnde priorem Scripturam præferunt etiam lapides, ADLECTI, ADTENDERE, non vt vulgò hodie *allecti, attendere*. Sed leuiora hæc fortè, & Grammaticis relinquenda, ad rectam tamen & accuratam ſcribendi formã ſpectantia, quam & in Vernaculis linguis & in Romana etiam, integris voluminibus tradere, prçclaris omnium ætatum, & gentium viris. viſum eſt non inconſultum.

2 IN ETHICA ET POLITICA. Nec ad ornandam MORALEM aut CIVILEM DOCTRINAM, parum etiam conferunt hi reconditi priſcæ elegantiæ Theſauri. Ridebunt hîc fortè homines, niſi excandeſcent lubentius, qui veterem illam Sapientiæ, cum ſtudijs eruditæ antiquitatis communionem ignorant. At ridebis ipſe viciſsim, Præſtantiſsime OCTAVI, erroris toties confoſsi temeritatem; qui aliter erga optimas artes affectus, illis ducibus interiores diſciplinarum aditus penetrari, haud difficulter largieris. Noſti equidem, præclaris olim morum Magiſtris, ac Cenſoribus, varia placuiſſe ſubſidia, quibus ſingulis hominum ordinibus officij ſui leges inſpiciendas traderent. Hinc fabulis non ſolùm, præceptis, legibus, ſed Symbolis etiam quibuſdam, nobiliſsimam vitę artem non ſemel leguntur complexi. Adeò quidem, vt hæc poſtrema, tanquam ad imbuendos ſaluberri-

berrimis monitis intuentium animos, magis opportuna, in grauiſsimarum rerum tractatione, frequentius etiam vſurpaſſe videantur. Morem illum vtique non Aegyptijs ſolum, ſed Græcis alijſque familiarem, vt alios mittam, docet eximius apud *Iamblichum* locus. Quid autem ſunt obſecro, pleraque illa meliotis notæ Numiſmata Veterum, niſi totidem Symbola, vel documenta potius, ad omnem vitæ vſum feliciter comparata? Et Romanorum quidem laus hæc fateor præcipua, qui primas etiam in hoc veteris memoriæ ſtudio, ac delectu, vulgò apud antiquarios tenent. Quum enim in Græcorum, aut Barbarorum Nummis, frequentius ſitus, originis, aut religionis quandoque occurrant argumenta, Romani optimo & arcano quodam conſilio, non diurnos ſolum actus principum, ſed ipſam agendorum normam, promiſcuis & quotidianis Nummorum vſibus, teſtatam conſignatamque voluere. Hoc enim abundè tot præſtantiſsimarum Virtutum effigies paſſim in iis traditæ oſtendunt; quæ nihil aliud, quam pictura quædam loquens, vt Poeſin vocauit nonnemo, verum optimi Status, & Vitæ laudabiliter actæ imaginem ſpectandā præbet. Vnde illas ipſas regnandi artes, vna cum ſacris Cæſarum Vultibus, in iis paſsim expreſſas intuemur, vt indiuiduam quandam illarū

cum

cum ſuprema poteſtate ſocietatem, iidem religioſè fouendam ſibi, & retinendam ſcirent. Qua in re non minus appoſitè, illę Virtutes, quæ maximè Principes decent, & quibus publica ſalus potiſsimum incumbit; frequentius etiam traditæ; ita vt qui Iuſtitiam, Aequitatem, Clementiam, Conſtantiam, Fidem, Indulgentiam, Liberalitatem, Munificentiam, Prouidentiam, & bellicæ Virtutis argumenta crebrò in Nummis veterum legit, ſpeculum quoddam in iis Principum, & grauiſsimi muneris requiſita, eadem opera agnoſcere ſeſe fateatur. Vbi verò Auguſtarum Nummos cõſulet, ſolemnes Matronarum Virtutes, ac pręcipua decora, Fecunditatem, Pudicitiam, Pietatem, Concordiam, earundem oculis opportunè quoque ſubieciſſe veteres intelliget. Ita eodem conſilio cordati homines, optimorum Principum auſpiciis, Seculo & Reipublicę Securitatem, Gloriam, Libertatẽ, Tranquillitatem, Gaudium, Romam renaſcentẽ, Felicia Tempora, Imperio denique Aeternitatem, fauſtis ominibus, & repetitis votis augurabantur.

Non diffiteor equidem, deſtituiſſe non ſemel hæc auguria, infauſtam, & exitialem nõ vnius Neronis indolem. Hinc non continuò tamen arguendus ampliſsimus Ordo, penes quem amiſſa etiam Republica, ſignandi æris facul-

facultas manſit, qui ſpes ſuas & vota monumentis id genus conſignabat; immo, qui his veluti tabulis, quum aliter per illorum temporum immanitatem non liceret; Principes officij ſui, ſub commendationis ſpecie, frequenter admonere non dubitabat. Nec de ea re ſinit me dubitare, illuſtris hic apud Dionem locus, qui in vita Caligulę, refert eum habita ad Senatum Oratione, in qua Tiberij vitia perſtringebat, & de ſe multa pollicebatur, Patres veritos ne mutaretur, Senatusconſulto iuſſiſſe eã quotannis recitari. Vnde planè hic appoſitè Plinius, in incomparabili Panegyrico; *Sed parendum eſt Senatuſconſulto, quo ex vtilitate publica placuit, vt Conſulis voce ſub titulo gratiarum agendarum, boni Principes quæ facerent, recognoſcerent, mali quæ facere deberent.* Agnoſcis opinor duorum Conſularium fide, pręclaram hic totius Ordinis mentem, & arcanam huius inſtituti rationem. Spes nempe illi erat nonnulla, poſſe blandæ huius artis efficacia, illam Caligularum, quam Suetonius hic vocat, ἀδιατρεψίαν expugnari, & fore aliquando, vt vel verecundia immeritæ laudis, vel deſiderio pulcherrimi proemij, vel reuerentia poſterorũ tangerentur. Recuſaſſe certè Tiberium accepimus, delatum ſibi Patrum iudicio Patris Patriæ cognomen, quod nec in Nummis eius apparet, gnarus quàm malè arduas tituli illius

Lib. 59.

partes quandoque eſſet impleturus; immo ne tot patricidiorum reum aliquando ſe ipſum hac appellatione proderet. Accedit, quod frequentius hęc publici gaudij argumenta, in optimorum Principum imaginibus occurrant, quæ in iis tanquam ſuperſtitum prœmia, & ſequentium ſimul incitamenta proponuntur. Immo non defuere nonnunquam deterioribus Dominis, ſua vel belli vel pacis decora, digna etiam quandoque, quæ hac publica ciuium gratulatione commendarentur.

Sueton.in Nerone. Quod verò hic præcipuum, vel hinc petere ijſdem licuit, quibus *inconſulta erat* cum Nerone *perpetuæ famæ & æternitatis cupido*, quibus artibus demum ad eam ſibi eniti liceret. Vidiſſent vtique vel in Nummis illis, quos tractabant aſſiduè, regia virtutum via id gloriæ faſtigium demum attigi; ſolas quippè vel veteri *Tull.lib.2. de legib.* Romanorum lege, in ijs conſecrari meruiſſe; non autem Libidinem, Impudentiam, Contumeliam, quibus publici cultus monumenta erexiſſe Ahenienſes, refert ſimul & arguit Tullius. *Symbola, & Inſcriptiones in Nummis.* Docuiſſent ipſos ijdem, quos tam cupidè ſectabantur, Magiſtri, PROVIDENTIAE deſtinatione vocatum Principem, vt ipſe ad Clauum ſedeat, tanquam ORBIS RECTOR; aut vt Sceptrum quaſi à Ioue traditum, cum dignitate tueri meminerit. Muneris verò illius partes eſſe vel pręcipuas, vt patrocinium Orbis

bis vel TVTELAM ſuſcipere ſeſe magis quàm imperium norit; PIETATI in Deos, ſacrorum cultu & reuerentia præire; FELICITATI REIP. Bilance, ſeu AEQVITATE quadã vniuerſæ vitę & ſingularum actionum, ANNONAE cura, & in omni procuratione muneris, ac negotij, aſſiduis IVSTITIAE officijs, diligenter prouidere; SALVTI verò ſingulorum, PACIS commodis, REMISSIONE grauiorum onerum, nec tamen adeò promiſcua Frumenti gratuiti, quàm æquabili iudiciorum diſtributione, feliciter conſulere. Inſtrumenta regnandi ſecura eadem eſſe quæ honeſta, exſpectatione rerum bonarum erigere ciuium animos, SPEM proinde populorum de ſe conceptam, fama & opinione CRESCENTIS VIRTVTIS augere; CONCORDIAM AVGG. EXERCITVVM, PROVINCIARVM, vt publicæ incolumitatis pignus, fouere diligenter, FIDEM omnium Ordinum, vt vinculum Societatis, tueri religiosè; HONOREM, & VIRTVTEM indiuidua vtriuſque cõmunione colere; Opes denique imperij, non ad cupiditatem priuatam, aut effuſiones indecoras, ſed ad LARGITIONES in Ciues, & LIBERALITATES publicas, hoc eſt, ad præclaram gratificandi facultatem, conferre. Reputare inſuper, non vnam Vrbem, ſed totum Reipublicæ corpus, vt ex Platone

tradit etiam in Officijs Tullius, ſuæ procurationi commiſſum; PROFECTIONEM proinde in ſubiectas Prouincias ſuſcipere, afflictas reſtituere; iacentes erigere; ductus in ijs aquarum, deriuationes fluminum, moles oppoſitas fluctibus, aliaque publica opera prouidè, & ſollicitè curare; illumque à ſubleuatis Prouincijs, ASIAE, AFRICAE, ACHAIAE, MAVRETANAE, aliarumque RESTITVTORIS titulum, Aſiaticis, Africanis Numidicis, Creticis, ab ijſdẽ expugnatis, vel deletis petitum, longè anteponere. Principem verò ſeſe non ſolùm, ſed IMPERATOREM etiam meminiſſe; Bellicam proinde gloriam Pacis artibus miſcere; modo Caduceum, modò Haſtam geſtare; labentem DISCIPLINAM reſtaurare; ADLOCVTIONIBVS ardorem militum accendere; Coronis virtutem remunerari; Victoria duce, EXPEDITIONES aggredi militares; ita tamen vt eadem TERRA, MARIQVE PARTA, & Iano clauſo, in PACE quadam AETERNA Orbis terrarum requieſcat. Vbique verò domi, ac foris, TRANQVILLITATEM animi & SECVRITATEM quandam, omni perturbatione vacuam, firmo mentis, & corporis habitu præſe ferrre, metus certe, cupiditatis, aut iracundiæ affectibus immoto. In CLEMENTIAE verò, & INDVLGENTIAE fama,

ſecu-

ſecurius adhuc præſidium, quàm in Muris CA-STRORVM, aut PRAETORIANORVM Militum FIDE reponere; & blanda quadam RESTITVTAE LIBERTATIS ſpecie, moleſtam Quiritium Nepotibus ſeruitutis imaginem, & intutum Principi tyrannidis odium ſubducere. Finem verò TVTELAE illius, vel Procurationis, non eſſe commodum proprium, quod reiiciebat Plato, nec iura concedũt, ſed VTILITATEM PVBLICAM, SALVTEM REIPVBLICAE, SECVRITATEM eiuſdem ſtabilem & inconcuſſam; AVREI SAECVLI tranquillum & pacatum ſtatũ; LAETAM & virentem TEMPORVM faciem. Mercedem autem tot rerum geſtarum, non Coronas ſolùm aureas, vel querneas, non ramũ lauri, vel palmæ, vel oliuæ; non Triumphi duntaxat honorem, aut ſtatuas Equeſtres, Arcus, Tropæa, Columnas, Clypeos, præclara licet illa, & eximia; ſed potiora ahuc longè, Acclamationes populorum frequentes, VOTA pro ſalute Principis cupidè SVSCEPTA; MEMORIAM poſteritatis FELICEM, AETERNITATEM denique nominis, & DIVORVM honoribus remuneratam priſtinæ Virtutis famam.

Dubius certè pendeo, an alibi Poetarum fabulæ, vel Sapientum præcepta, vel Aegyptiorum Hieroglyphica, obſcura illa, & inania-

rum

rum plena, luculentius expreſſerint Optimi Principis, & Felicis Reipublicæ normam, & exẽplar. Illud verò ſcio plurimũ eiſdẽ, vel Poetis vel Sapientibus lucis, & ſplendoris acceſſurum, ſi liberet hic in varia ſingularum Virtutum ſymbola accuratius inquirere. Iucunda quidem nec inutilis plurimis artibus, ac diſciplinis contemplatio, ſed quam in antiquariorũ libris, & theſauris obuiam, licet huius elegantię cupidis, inde continuò petere. Monuiſſe id obiter liceat, Spem in Nummis non herbam trifolii, vt exiſtimabat Antonius Auguſtinus, ſed reuera lilium vt maluerunt alii, opportuniori ſymbolo præferre: quod ex monumentis plaſticis Romæ nuper admodum cũ eodem illo ſpei habitu effoſſis, certò mihi demum licuit. Fidem etiam, & Concordiam, duplicis dextræ ſymbolo, non immeritò in iiſdem Nummis ſignari, quod ſummum apud Romanos non ſolùm, ſed apud Barbaros quoq; fidei argumentum; vt præter alios egregiè illuſtrat hic Ioſephi locus, agens de colloquio Artabani Parthorum Regis, & Romani Præſidis, *Et dextram dedit tanquam maximum confidentiæ argumentum apud omnes illos Barbaros; neque enim fidem fallet quiſquam ex iis data ſemel dextra, neque fidẽ habere dubitabit, tale ſecuritatis pignus ab iis nactus, à quibus iniuriã ſibi metuere poterat.* Vt hoc etiã addã MVNIFICENTIAM

lib. 18. *cap.* 12.

TIAM apud Romanos, æuo Cęſarum maximè eam Principum laudem propriè denotaſſe, quam in Muneribus, ſeu ſpectaculis edendis, & ſolenni ludorum apparatu publicè oſtentabant, & quam in Officiis Tullius munerum largitionem vocat. Quæ res, vel ex Nummis Antonii Pii, & Seueri obuia, in quibus Elephantis Symbolo eadem exprimitur, & clarius ex præclaro, & rariſſimo nummo Gordiani Pii, inter Cimelia id genus Magni Hetruriæ Ducis mihi inſpecto, in quo amphitheatrum, & homo elephanto inſidens, & pugnans cum tauro occurrunt, cum inſcriptione MVNIFICENTIA GORDIANI. Cuius tamen vocis genuina illa, nec alias arcana ſignificatio non obſeruata, eruditis aliquot in explicatione veterum auctorum non ſemel impoſuit.

*I*mmo NATVRALI etiam SCIENTIAE lumen aliquod ex nummis adſulget, ſeu PROPRIETATES ANIMALIVM, aut FORMAS eorundem, ſeu PLANTARVM etiam FIGVRAS conſulamus. Hinc enim videre in iis licet Animalia ob inſitas ſingulis proprietates, ſuo quæque numini ſacra, Aquilam, vel Capram *I*oui, Pauonem *I*unoni, Gallum Mercurio, Cybele Leonem, Tigrim & Caprum Baccho, Porcum, & Serpentes alatos Cereri, Serpentem Aeſculapio, Anſerem *I*ſidi, Cornicem Apollini, Delphinum, & Equũ

Ne-

Neptuno, Ceruum & Canem Dianæ; quæ ex Poetis non ſolùm, ſed Antiquariis etiam vulgò iam nota. Sic Noctuam Mineruæ plærique Athenienſium, & Tarentinorum aliquot Nummi; Columbas Veneri, Cypriorum nonnulli rariores; Plutoni Cerberum Trallianorum Nummus pulcherrimus Magni Ducis addicunt. Cauſas verò adferent Mythologi, & Symbolorum interpretes, nec enim nugari hic vacat. Ita Serpentem, & Draconem Felicitatis, Victoriæ, Salutis ſymbolum frequenter fuiſſe, non apud Aegyptios ſolùm, ſed apud Græcos etiam, & Romanos, tot Nummi clariſſimè oſtendunt, vt mirer erudit iſſimum Geuartium id inficias iuiſſe. Res enim obuia ex priſcis monumentis, quamuis non id promiſcuè cum Ioanne Triſtano, ad omne Serpentum genus retulerim, ſed ad illos maximè quos ἀγαθοὺς δαίμονας, ſeu pro bonis Geniis habitos, ex Seruio diſcimus, & de quibus Lucanus meus;

Vos quoque qui cunctis innoxia numina terris,
Serpitis aurato nitidi fulgore Dracones.

Sic Elephãtis diuturnitas vitæ præ cætetis animalibus Ariſtoteli tradita, Aeternitatis nota in iiſdem nõ ſemel expreſſa occurrit. Capricornus, qui non tantum inter ſigna cœleſtia, ſed Augusti etiam ſigilla, & Nummos locum inuenit, in iiſdem, & altero Nummo Hadriani rariore abun-

abundantiam, & felicitatem notat. Apes ob multiplicem induſtriam, & mellis præſtantiam, Sapientiæ etiam, & dignitatis ſymbola, plurimi Græcorum, Romanorumque Nummi arguunt, quorum aliquos illuſtrauit non ita pridem huius veteris elegantiæ optimus interpres, Petrus Bellorius noſter. Aquilā præterea mitto perpetuum quoddam prouidentiæ, & diuinitatis in iiſdem ſymbolum, Ciconiam Pietatis, Bouem autem fertilitatis, aliaque id genus magis trita, quorum etiam cauſam quis ignorat?

FORMAS verò ANIMALIVM aquatilium, & terreſtrium, vulgò minus notas, aut de quibus diſſentiunt nonnunquam priſci, & recentiores Naturæ conſulti, ijdem Nummi in conſpectu ponunt. Sic HIPPOPOTAMVM Philippi, & Otacillæ Numiſmata, ſatis arguunt, quare Equi non ſolùm, ſed Bouis nonnullis veterum, alijs Porci Marini etiam nomine nuncupetur. Ita enim in ijs expreſſus eſt, vt capite & cauda porcum, pedibus autem biſulcis bouem referat, cætera fœdè ſimus, & ad Ariſtotelis potius quàm Herodoti, aut Diodori deſcriptionem comparatus. Neque tamen recentioribus accedo, qui proinde à ſola magnitudine, EQVI MARINI nomen illi inditum credunt; quum diſertè Ariſtote-

Circa formas Animalium.

Hiſt. Animal. lib. II. cap. XII.

L les

les & iubam inſtar equi, & vocem eiuſdem interiora denique equo & aſino ſimilia referat; vnde etiam Hippopotami nomen illi adhæſiſſe crediderim. DRACONES etiam alatos, & coronatos Nummi aliquot ſelectiores exhibent, de quorum cum Aquilis & Elephantis pugna Nicander & Plinius meminere, & quos diuerſos proinde ab ijs intelligimus, quos alias Chamædracontes veteres nuncuparunt. Neque enim patiuntur tot veterum & recentiorũ oculata teſtimonia vt Ammiano Marcellino adsẽtiar, qui alatos id genus *DRACONES*, fabuloſis accenſet. Tales fortè illi cõcedã, duos alatos non ſolùm, ſed coronatos & barbatos ſerpentes currumtrahentes in rariſſimo Nummo Traiani, quem in Aegypto ſignatum mihi ex litteris numeralibus liquet. De RHINOCEROTE, nota veteru m & recentiorum controuerſia, quorum alij fabuloſis eundem annumerarunt, alij verò vnum, alij duo cornua, eademque modò in naribus, modò in capite, modò in humeris etiam poſita voluerunt. Viſum verò Romæ hoc animal, non ex Plinio ſolùm, Suetonio, aut Martiali diſcimus, ſed præterea ex Nummo Domitiani, ex quo patet illud in Sæcularibus ludis exhibitum, & in eius rei memoriam ibi expreſſum, cum vno-

cor-

cornu e naribus prominente. Vnde mirari ſubit nuperum Hiſtoriæ Animalium Scriptorem, qui cum duobus cornibus in his ipſis Domitiani Nummis depictum refert; quum tamen & ijdem mihi aliquoties inſpecti contrarium euincant, & apud Antonium Auguſtinum, ac Sebaſtianum Erizzum, vno ſolùm cornu præditum videre potuiſſet. HYAENAM quoque in ſequenti ludorum Sæcularium ſolemnitate, Romæ conſpectam, Philippi Senioris Nummi aliquot rariores repræſentant, quod alias ignotum Europæ animal Iulius Scaliger adſerebat. Huius verò animalis alias minus obuij figura docebit, quam cum porco, vnde illi nomen, communionem habeat, cuius etiã vis in Magicis apud veteres præ reliquis animantibus celebrata, vnde & hanc in rem Lucano *duræ nodus hyænæ* commemoratur, quem locum perperam à V.CL. ad Solinum explicatum, alibi vindicabimus. PELAMIDVM celebrata olim Byzantij piſcatio, de cuius ratione præter Ariſtotelem & Plinium prolixè diſſerit Strabo, qui ex ea copioſũ reditum Byzantinis Romaniſq; accedere cõmemorat. Tales autem notaui ſæpius in variis Byzantinorum Nummis, qui duos id genus piſces preferunt & Strabonis locum egregiè illuſtrant. Vt mittam inſuper CHERSYDRVM Serpentis genus fontibus adhærens; POLY-

Ioan. Ionſton. Hiſt. Quadrup.

Com. ad hiſt. Animal. Ariſt. lib. VI. C. 32.

Plin. l. XXVIII. c. 8.

lib. VII.

PVM; illique inimicam CAMARAM vel LOCVSTAM MARINAM, aliaque id genus quæ Nummi Syracuſis, & Tarenti percuſſi aliquoties exhibent.

Nec pigebit iis annumerare fictitia illa & fabuloſa veterum animalia, CAPRICORNVM, SPHINGEM, SIRENEM, HARPYAM, SCYLLAM, CHIMAERAM, GRYPHEM, PEGASVM, CENTAVRVM, MINOTAVRVM; PHOENICEM denique, quæ non magis inter Poetarum figmenta, quàm myſteria Gentilium locum frequenter habuere, & quorum figuram variè nonnunquam auctor ibus traditam, Nũmi veteres ob oculos ponunt. CAPRICORNI quidem vulgaris apud antiquos effigies capri cum cauda piſcis inuoluta, ex monumentis id genus eruitur. De SPHINGE, in qua tradenda non omnes Oepidi fuere, res magis anceps videri poſſet. Hanc enim inter Aegyptiorum inuenta antiquarii vulgò referunt; quod tamen ab Agatharchidis apud Photium, Diodori, Plinii, aliorumque conſtanti relatione alienum; qui eas inter veras ſimias recenſent, & ex Aethiopia in Aegyptum deferri contendunt. In eo nempe diſcrimen ſtatuendum, quod fabuloſę omnino fuerint alatæ Græcorum Sphinges, quæ iuxta Auſonianam deſcriptionem, in Chiorum nummis

volu-

volucris pēnis,pedibus leo,ore puella,in galea Palladis, & ſimulachris Dianæ Epheſinæ vulgò occurr ūt;quum Aegyptias Sphinges ab iis diuerſas, ſine alis, & ex auctoritate veterum,& ex monumentis in Vrbe paſſim adhuc obuiis, & ex Nummis etiam aliquot liceat obſeruare. Ita vt hinc errare pateat, & qui non alias niſi alatas Sphinges, quod Græcorum quippe non Aegyptiorum fuit inuentum, credidere, & qui exinde promiſcuè omne hoc animantium genus fabuloſum adſerunt. Nec iuuat, quod vulgò tradunt antiquarii, ex Virgine, & Leone fictum ideo ab Aegyptis, vt Nili ſui incrementa hoc veluti Symbolo adumbrarent. Notum enim, cùm feracem monſtris, vel ignotis alibi animalibus Aegyptum, & vicinam Aethiopiam, tum e media rerum natura, & obuiis in illa gente animalibus, Symbola, & figuras virtutum ac rerum cæleſtium vulgò Aegiptios deſumpſiſſe. Nec diffiteor tamen illam mixturam hominis & beſtiæ Aegiptiis olim familiarem, vt præ aliis docet eximius apud Porphirium locus, qui in aureo libello tradit volucrum, aut ferarum permixta ab ijs cum hominibus corpora, vt oſtenderent ex Deorum ſententia, hæc quandam inter ſe communionem alere. Aduerſari quidem videntur ſuperius adlatis,aliquot Nummi Agiptii ſub Cęſaribus, cum vulgatis etiam

De *Abſtin.l. IV.*

Græ-

Græcorum Sphingibus alatis,ſed qui tot aliis Auctorum, Marmorum, Nummorumque diuerſis Sphinghum apud Aegiptios monumentis,fidem detrahere nequeunt;SIRENVM verò genuina,quã,illis veteres imputarunt,forma ex Nummis demum eruitur; Superior nempe Virginis, reliqua non in piſcem vt vulgò, ſed in Auem deſinens, iuxta Ouidianam deſcriptionem

Pluma pedeſque auium, cùm Virginis ora geratis.

Errat verò meo iudicio Aldobrandus, qui adſerit obiter,Grammaticos Græcos à pectore ad ſuperiora, auis vel paſſeris effigiem, in inferiori verò corpore formam Virginis illis tribuiſſe, planè contra Nummorum, & Auctorum veterum fidem. Vellem vt Grammaticorum illorum loca adtuliſſet, quum & Euſtatius & Apollonii Scholiaſtes & alii id genus id non tradant, nec ab Homeri, Apollonii, Ouidii aliorumque deſcriptione diſcedant. Sed facilis fuit hic lapſus homini, qui omnibus aliis præſidiis,potius quàm Græcis litteris apprimè tamen inſtituto operi neceſſariis inſtructus,præclarum alias & victurum opus aggreſſus mihi videtur. Errat verò grauiusidem Aldobrãdus,quum volucres id genus SIRENES non planè fabuloſas cenſet, earumque viſa ſuperioribus ſæculis in Nea-

Neapolitanis oris veſtigia, quibuſdam id tradentibus credit. Nimis certè credulus hic fuit. Quis enim neſcit tres illius nominis Virgines Siculas, in totidem canora monſtra à Poetis conuerſas, fabulæ locum dediſſe, quod præter alios docere illum potuiſſet Seruius, *ſecundum fabulam tres in parte virgines fuerunt, in parte volucres, Acheloi fluminis, & Calliopes Muſæ filiæ*. Quod verò tradit idem doctiſſimus Grammaticus, vnam voce, alteram tibia, tertiam lira ceciniſſe, firmant ex parte nummi antiqui Neapolitanorum, in quibus *P*arthenope Siren cum tibia occurrit. Ingenio sè vero doctiſſimus Bochartus, nomen illud Sirenis ab Hebręorum vel *P*hœnicum Sir ſeu Cantico deriuat; niſi placeat potius Gręcis poſt metamorphoſim dictas Σειρῆνες à voce Σύρη ὀρνιθάριον ποιόν, exigui volucris genere apud Heſychiũ, quo illas poetæ & Nũmi induũt Alas certè illis & cantum cum Muſis communem tribuunt veteres, vnde *P*orphirius, Τὰς Μούσας ἐπτερῶσαν καὶ τὰς Σειρῆνας. Talem etiam Sirenem nouiſſimè in Nummo Selinuntis Vrbis Siciliæ deprehendi, cum ara, tauro, aliiſque Simbolis ibi expreſſam, vt CL. Gottifredi cum reliqua nummi declaratione, indicaſſe memini. Vnde patet non ſolùm in Surrentino tractu Capreis vicino, templum olim Sirenes habuiſſe, quod ex Strabone noueram; ſed & eaſ-

Servius in Aeneid. V.

De Abſtin. lib. 3.

lib. 1.

eaſdem, *SICVLAS* vtpote *VIRGINES* & Proſerpinæ iuxta Poetam comites, in vicina Sicilia cultas, immo vltra Pelorum, ad quem alias earum ſedes reſtringebat Seruius Cultũ certè illarũ ara & taurus in eodem numiſmate ſatis arguunt. Nec moror eruditum antiquarium, quem pro Sirene gallum, & ſacra proinde Aeſculapii in gemino Magni Ducis numiſmate notaſſe deprehendi; quum Superior pars Virginis, inferior autem Galli, (qualis canoro huic monſtro à multis apud veteres tribuitur) abundè ſe ſe prodat. Modernum verò pictorum errorem, in piſcem eas conuertentium, refeller poterant pictores antiqui apud Aelianum; quem iam ante Antonium Auguſtinum iugulaſſe animaduerti Annibalem Caro, plurimæ elegantię virum in vernaculis Epiſtolis. *HARPYAM* autem volucris vel monſtri genus non diſſimile, tradunt nummi Familiæ Valeriæ. *SCILLAM* verò cum latrantibus canibus, obuius Sexti Pompei nummus exibet, figura ita Maronianę deſcriptioni conformi, vt illius Nummi circa eadem tempora percuſſi interpres, diuinus Poeta extitiſſe videatur. *GRYPHES* verò *PEGASOS*, alata etiam & fabuloſa monſtra, Græcorum & Latinorum nummi frequenter repræſentant; quamuis de poſtremis dubitare videatur Plinius, an fictitiis annumeret.

ret.

ret. Aethiopiam enim multa monſtra ſimilia generare, *pinnatos equos & cornibus armatos, quos Pegaſos vocant* alicubi agnoſcit; alibi verò, *Pegaſos equino capite volucres & Gryphas aurita aduncitate roſtri fabuloſos reor, illos in Schythia, hos in Aethiopia.* *PEGASI* alias nomẽ velocibus equis apud Romanos tributum noui, ſicut *AQVILONIS*, in ſaxis, aut *VOLVCRIS* etiã, cui ſimulachrum aureum erexiſſe L. Verũ Capitolinus tradit. De Pegaſo, Poeta lib.8.c.21. lib.10.c.49.

Pegaſus hinc dexter currat, ſibi læuus Orion
Funis & ad quartum det tibi Caſtor equũ.

CENTAVRI & *MINOTAVRI*, vt feritate, ita ſorte naſcendi æquales, ſi Plutarcho credimus & Phlegonti Tralliano, qui ex promiſcuis hominum & belluarum congreſſibus hæc monſtra nata credidere. Quæ ratio forte vel autoritas, Beatum Hieronymum in eam pertraxit ſententiam, vt Centauros aliquando extitiſſe crederet. Ita verò Nummi varii illos exhibent, præter alia priſca monumenta, vt fabuloſa monſtra facile ſe ſe prodant. *PHOENIX* autem in Nummis eadem forma, qua illum nobis Herodotus, Plinius, Solinus, vetus Poeta apud Euſebium, aliique tradidere, aquilę magnitudine cum plumeo apice, ſeu corona radiata; vt facile ex ea ſacrum Soli animal adſequamur. Accedunt præterea alia quædam in Nummis Monſtra, qui- *In vita S. Pauli Eremi*

bus ſymbolorum, aut Naturæ interpretes; poſſunt induſtriam ſuam ornare luculentius. Vnum, quod inter Hieroglyphica Aegyptiorum animalia retulerim, tradit Nummus rariſſimus Hadriani; in quo cauda, corpus, & pedes leonis, pectus Crocodili, caput Iſidis cum flore, & deſuper Sphinx cum rota. Hæc enim omnia Aegyptium nummum ſatis arguunt, & meo iudicio, iuxta familiaria illis Symbola, Lunæ concordem cum Sole in hæc inferiora virtutem, & recurrens ſtatis vicibus Nili incrementum. In vicina alias Aethiopia, non vnum agnoſcit monſtrum Plinius, ex variis id genus animalium formis concretum, collo etiam, cauda, pectore leonis, cætera diuerſum, Aliud verò in Syracuſanorum Nummis occurrit ſimile draconi, capite equino, cauda biforcata, incumbens ſtipiti. Alterum in ijſdem, alatum, capite equino, cum duabus tibiis equinis, infra pectus cauda Serpentina. Plura id genus ex Nummis tradi adhuc poſſent, vnde ijs, qui monſtra vel vera, vel fabuloſa congerunt, vberior materia diligentię, & contemplationis ſuppeteret. Haud manem illam inſuper ad myſteria veteris Sapientiæ, aut obſcura auctorum loca illuſtranda, facilè quiſque intelligit.

In Theſauro Magni Ducis

lib. 8. cap. 21.

Circa Hiſtoriam Plantarum.

Nec in ornãda PLANTARVM HISTORIA ſuperuacanea omnis hæc Nũmorũ vete-

rum

rum ſupellex cenſeri debet. Ita qualis olim fuerit figura *SILPHII* aut *LASERPITII*, decantatæ adeo apud veteres plantæ, fruſtra apud Herbarios quæras, nec aliunde hodie quàm ex Nummis diſces. Hæc enim planta, quæ vel ſola Cyrenaicam regionem, per plura Sæcula nobilitauit, vnde & *Laſerpiciferas Cyrenas* vocat Catullus, & cuius laſeris aliquot pondera in publico Populi Romani ærario recondita narrat Plinius, iam ante illius, & Strabonis etiam ætatem, ſi eiſdem credimus, apud Cyrenenſes defecerat; cuius rei cauſam *a* hic in barbaros, *b* ille in publicanos tráſfert. *a lib. XI.* Quod verò Ariſtoteles, Ariſtophanis interpres, Tzetzes, Heſychius olim tradiderant, Silphium in Cyrenenſium Nummis vulgò ſignatum fuiſſe, manifeſtè etiamnum docent argentea & vetuſta illius tractus numiſmata; qualia aliquoties cùm alibi, tum in Cimelijs Reginæ Auguſtæ, & Sereniſſimi Electoris Palatini, non ſemel inſpeximus. Vnde etiam non piguit magnum Solini interpretem, nummos huius generis, non in vno Exercitationum loco adferre; quò nobiliſſimæ illius plãtæ vulgò ignotæ figuram ex ijſdem repræſentaret; quod iam ante præſtiterant duo Antonii, Piſo & Auguſtinus, in collectione veterum Numiſmatum. Alteram quidem figuram non parùm diuerſam ex antiquo Dioſco-

b lib. 8. cap. 3.

Tom. 1. p. 359. T. II. p. 1058. Item Bod. in Not ad Theophr. Amſtel. 1644.

ridis codice depromptam exhibet etiam idem Solini Interpres; ſed ita vt adulterinam eandem, aliam certè quàm Cyrenaicam fateri illi ſit neceſſe, & priorem ex Nummis prolatam germanam & genuinam agnoſcere. Nã quod alias prioribus curis, nihil in hac Nummi figura ſimile apio reperiebat, cui ſimilia tamẽ huius *Lybici caulis* folia veteres Theophraſtus Dioſcorides, Plinius conſtanter tradidere, alibi poſtea producta accuratiori ex duobus alijs Nummis Silphij pictura, feliciter retractauit. Quod verò notat Tzetzes, in ijſdem non plantam ſolùm, ſed ipſos ſignari Cyrenenſes Silphium Batto conditori ſuo offerentes, (vnde natum etiam prouerbium Βάττου σίλφιον) fateor in reſiduis hodie Cyrenarum nummis nondũ mihi obſeruatum. Nec ideo tamen illuſtri Scaligero accedo, falſi eo nomine Tretzem arguenti; quod tamen pridem ante illum Græculum Ariſtoteles tradiderat, ſicut rectè ex veteri Ariſtophanis interprete colligit Salmaſius, vt nulla amplius ſuperſit ratio dubitandi. Nec enim quia Nummi eiuſmodi hodiè non exſtant, labat continuò illorum fides, quaſi omnia id genus numiſmata ſupereſſent, quorum veteres meminere, & præſertim Coloniæ, & gentis Africanæ; aut etiam talia quotidie adhuc non eruantur prioribus antiquarijs & ipſi olim Scaligero ignota. Vt mittam

Exer. Pliu. Tu.

Can. Iſag. lib. 3. p. 300.

tam

tam nihil in eo alienum aut inſolitum, ſed familiare in Nummis Symboli genus denotari, quod quidem notius veteris huius memo iæ leuiter peritis, quàm vt pluribus hic adſtruã. Factum etiam illud Cyrenenſium tangit Heſychius, vbi ſimul meminit Nummorum cum caule Silphii in iiſdem expreſſi, quales hodie tractamus; Βάττου σίλφιον, παροιμία ἐπὶ τῶν τὰς ὑπερβαλλούσας τιμὰς εὑρισκομένων, μετενήνεκται δὲ ἀπὸ τοὺς Κυρηναίους ἐπὶ τῶν Βαττιαδῶν μεγάλου καὶ ἐξαιρέτου τὸ Σίλφιον ὃ τετίμηται παρ' αὐτοῖς, ὥστε καὶ ἐν τῷ νομίσματι ὅπου μὲν Ἄμμωνα, ὅπου δὲ σίλφιον ἐγκεχαράχθαι Ad quod prouerbium reperiſſe obſeruo celebrem ipſius Cyrenæ Antiſtitem; Τρύφωνι τὰ δῶρα παρεσκευάσαμεν ὀπὸν Σιλφίου πολὺν Βάττου γὰρ ἀκούεις αὐτὸ *Syneſ. Ep. 133*
Triphoni dona parauimus Laſerpicium Zuphij coipoſum, Batti ſcslicet Silphium audis. Locum verò Heſychii integrum adduximus, vt vindicaremus etiam illum à rephrenſione alterius Viri eruditione clari, qui poſtrema verba do Nummo Cyrenenſium, cum caule Silphii, nihil ad explicationem prouerbii *Batti Silphium* nec ad honorem Batti quidquam pertinere, ad Solinum tradit. Atqui nihil hic peccauit, aut alienum inſeruit ſummę accurationis Criticus, qui vbi rationem illius prouerbii adtuliſſet, petitam ex more illo aut facto Cyrenenſium præſtantiſſimum Silphium Batto, aut alicui ex eius ſtirpe offerendi, opportunè cauſam adiungit, quod hæc planta in tanto apud Cyrenen-

nenſes honore haberetur, vt eam etiam in altera Nummi facie ſignari curauerint, vnde lux prouerbio non mediocris accedebat. Nec minus etiam lapſus eſt ibi vir magnus, dum eodem Heſychij loco deceptus, imberbis vultum ex Cyrenenſium Nummo prolatum, pro Ioue Hammone obtruſit; aut quum ſententiam ſuam de priſcis & recentioribus Cyrenenſium Nummis, & figuris in anteriori illorum facie expreſſis adtulit; qua de re infra dicendi erit locus. Alterius verò Plantæ nec minus olim nobilitatæ, luculentam etiam nobis figuram Nummi ſuppeditant. LOTVM Aegyptiam intelligo, quam lilio ſimilem veteres tradunt, & vſibus varijs ac dignitate apud illos populos celebrem etiam docent. Vnde vt alios mittam Aegyptiorum nummos, in quibus flos ille conſpicitur, eundem quoque Regum & Reginarum apud illos capita non ſemel ornaſſe, Ptolomæorum aliquot ſelectiora Numiſmata oſtendunt. In ijs certè venuſta quadam ſpecie, capitis vertici impoſitus cernitur, qualis & hic nuper apud eruditæ elegantię Antiquarium, & Florentiæ iam ante, inter Magni Ducis Cimelia contemplari mihi licuit. Huc enim refero Nummum illius argenteũ, in quo vnius ex Ptolomæis, & Vxoris capita, cum flore priori ſupcraddito exhibetur. Talem etiam Ariſinoe Philadel-

phi,

phi,& alter Ptolomæus in capitis vertice apud Vrſinum preferunt, prior ex nummo aureo, alter ex gemma expreſſus. Neque enim audiendus vir doctus, qui in notis ad has Fulvii Imagines, florem illum de Silphio, non de Loto, accepit & proinde à Cyrenenſibus profectum vtrumque hoc monumentum credit. Figura enim illius floris ibi expreſſa à caule Silphij longius diſcedit, qui in auerſa nummorum parte à Cyrenenſibus, vt vidimus, ſignari ſolitus, & Lotum reuera lilio haud abſimilem prodit. Ita etiã varia Aegyptiorũ Regum diademata eodem flore ornata, aut in illum deſinentia, in plurimis id genus Nummis hodie conſpiciuntur. Vnde vt alia mittam, (nec enim Comemntarios ſcribimus) lucem aliquam fœneratur præclarus Athenæi locus, qui coronas plexas ex floribus Loti apud Alexandrinos commemorat; quibus poſtea Antinöearum ſuaue cuiuſdam poetæ commentum, nomen dedit. Ita vt non opus ſit mihi *Laurum, Palmam, Quercum, Hederam, Myrtum, Pampinum*, obuia alias in Nummis capitis decora, in ſubſidium huius contemplationis, quam commendare hic inſtitui, aduocare. Alias quidem plantas minus vulgares eadem nobis ſubminiſtrat, vt *florem*, aut ramũ arboris THVREM ferẽtis, ſicut ex Traiani nummo eruit Triſtanus; DICTAMNVM her-

herbam Crętæ peculiarem haud incelebrem; quam non ſemel illius regionis tradunt numiſmata; ſicut Phæſti Vrbis eiuſdem tractus, florem quendam latifolium, quem apud Golzium videre licet expreſſum. Vt in hunc cenſum iam non referam LAVRVM ALEXANDRINAM, de qua tamen non vna fuit recentiorum ſententia; HYPPOGLOSSVM aliaſque id genus plantas ſelectiores, ex quibus obiter adſertam Nummorum in hoc contemplationis genere vtilitatem, liceret vlterius euincere.

4 AD HISTORIAM PRISCI AEVI.

Sed fortè maius erit operæ pretium, à brutis Animantibus, aut Plantis, ad nobiliorem rerum geſtarum HISTORIAM oculos conuertere, qui pręcipuus quidem eſt, & pulcherrimus, huius Nummorum tractationis Scopus. Nec tamen operoſam huius rei probationem à me exigis hoc loco, OCTAVI pręſtantiſſime, quod nec vnius eſt Diſſertationis argumentum, & de quo, vt ingenuè fatear, minus etiam videtur hic mihi laborandum. Vix enim hęc res hodie vllam habet dubitationem apud eos ipſos, quos vel nullo, aut leui admodum vſu antiquariæ huius ſupellectilis inſtructos videas. Vt mittam felicem multorum induſtriam, hic iam luculenter præluxiſſe, quorum curæ in hoc genere talium cupidis paſſim tractantur. Quod ſi tamen

meum

meam quoque Symbolam ad aliquam ſuſcepti argumenti illuſtrationem liceat obiter cōferre, non vna certè ratio, ſingularem hic & mirificam quandam Nummorum vtilitatem, continuò ſuadere mihi videtur. Primam quidem ſubminiſtrat illa iniuria, vel temporum, vel barbarorum, vel epitomatorum, quos vocant, quæ mancam, & mutilam magna ſui parte Hiſtoriam priſci æui, ad nos hodie tranſmiſit. Nec enim vllus ignorat, quota pars Hiſtoricorum veterum ex illa publica litterarum calamitate ſuperſtes euaſerit, aut quàm laceri præſtantiſſimi quique ex ijs occurrant. Ruinas vtique in ijs agnoſcas veterum operum aut ædificiorum, paſſim hic etiamnum obuias; in quibus modo atria & veſtibula, modo dietas & Lararium, modò laquearia & concamerationes deſideres; aut ſi magis familiare exemplum Nauis alicuius decumanis fluctibus quaſſatæ, in qua vel puppim, vel tabulata, vel proram, frequenter requiras. Vnde præclara multorum opera, quæ in colligendis reliquijs, aut reſarcienda id genus iactura laborauit, in tantum laudem induſtriæ vel inuenit, vel meretur, in quantum priſcis illius naufragij tabulis eadem inniti cōſueuit. Altera occurrit, illa crebra repugnantia apud Hiſtoriæ veteris Scriptores Grecos & Latinos in rebus etiam grauiſſimis, vt neſcias

Cauſa illius Vtilitatis.

quibus nonnunquam acquieſcere,aut quorum te iudicijs & auctoritati mancipare. Ita confuſa aut diſcrepantia ſæpius apud eos tempora, patriam, nomina, aliaquę præcipua rei geſtæ momenta videas, vt dum in ijs conciliandis aliquot Criticorum ingenia ſe exercent, eadem ab hoc conatu ſaniorum crebrius deterreant diligentiam. Hæc autem tolli non poteſt aut argui diuerſitas, niſi ope & præſidio illorum, quos vt indubiæ fidei teſtes, ſecurè hic liceat conuenire. Tertia ex eo poteſt intelligi, quod multa ijſdem Hiſtoriarum aut Annalium conditoribus, vel odio, vel amore, vel incuria ſint perperam tradita; quæ emendari hodie, aut reuinci, niſi publicis quibuſdã tabulis nõ poſſunt. Adeò vt nõ continuò exiſtimem à liuore profectum illud Vopiſci iudicium, quod hic opportunè ſeſe mihi ingeſſit: *Neminem Scriptorum, quantum ad hiſtoriam pertinet non aliquid eſſe mentitum, prodente me, quin etiam in quo Liuius, in quo Saluſtius, iu quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifeſtis teſtibus conuinceretur.* Quarta accedit,quod omiſſa multa ſint & præterita diligentiſſimis alias Scriptoribus, quæ tamen ad ſummam rei geſtæ, aut hiſtoriæ integritatem, momentum non leue conferre videbantur. Nec enim vlli, vtut accurato & ſedulo hiſtorico ea felicitas hactenus contigit,

In Aureliano.

omnia

omnia vel adſequi vel tradere in ampliſſima nonnunquam materia, aut ab illius ætate longo temporum interuallo ſubmota. Id verò ſupplere demum poſſunt, reliqua eiuſdem ęui monumenta, in quibus publica fata populorum, aut geſta alias digna poſterorum memoria, opportunè fuerunt conſignata. Quinta denique ſupereſt, obſcurè aut obiter multa paſſim iiſdem Scriptoribus tradita, quæ noua & dilucida cuiuſdam expoſitionis face indigent, vt legentium oculis quodammodo ſubiici poſſint, & eorum auiditatem luculentius explere. Ac talium immenſa quædam ſeges in Hiſtorię veteris examine ſeſe offert, quorum vſus vel voluptas vix commodè poſſet hodie percipi, niſi aliundè lux illis, & euidentia quædam maior accederet. Hæc autem ſingula in veteri Nummorum ſupellectile adiumentum quoddam præcipuum, & ſingulare præſidium agnoſcere, non pœnitendi certè beneficij acceſſio cenſeri debet.

Ad HISTORIAM EXTERNAM minus conferre hic Nummi ijs videbuntur, qui Romanos ſolùm tractant; & vix aliis peregrinis, Græcis nempè & Aſiaticis pretium ponunt. Haud vna tamen in ijs ſe offert Nummorum vtilitas, ſeu in tradendis Regum vel Ducum apud Græcos aut Barbaros *Appellationibus*, ſeu in illuſtrandis præclaris eorum *Natalibus*, & AD HISTOR. EXTERNAM.

Factis. Ita vt vicem hodie fungantur illorum Clypeorum, qui in templis ad memoriam rei geſtæ appendi conſueuerant, & ad quos crebrò prouocant antiquæ hiſtoriæ enarratores. Apud MACEDONAS quidem fundatores ampliſſimi illorum imperij, ab HERCVLE Leonicida genus deriuaſſe, vel eorundem imagines in Nummis cum Leonis exuuiis etiamnum arguunt. Quod ipſum tradit ex eorum fide, non e vulgo ſed in purpura editus Imperator, qui exuuias leonini capitis ſtirpis auctorem referentes, Macedonum Regibus familiares, & quibuſuis apud eos coronis, ac gemmis potiores ſcribens, addit, καὶ μάρτυς ἀξιόπιστος αὐτῷ Νόμισμα τοῦ Μακεδόνος Ἀλεξάνδρου, ταύτῃ εἰκόνι καλλωπιζόμενον; ac *TESTIS huius rei fide dignus eſt NVMMVS Alexandri Macedonis eiuſmodi figura inſignitus*. Vides hic vtique laudatiſſimum Cæſarem ad Nummos, tanquam ad indubium originis illius ac moris indicium ſecurè prouocantem. Hic verò vir doctus illius editor, (quem locum tuo beneficio inſpexi) ipſum profert ALEXANDRI Nummum cum illis leonis exuuiis, detracta etiam omni galea capiti adaptatis; quod poſtremum ſingulare & minus obuium in ijſdē numiſmatibus credit. Idem verò capitis inſigne in antiquioribus etiam AMYNTAE, & PHILIPPI Nummis adhuc hodie intuemur,

Stirps Macedonum, & Alexandri.

Conſtant. Porphyrogē. Them. l. 1 1

vt

vt præteream *Pharetram & Clauam*, quæ tum in eiuſdem Amytæ, Philippi, Alexandri, tum poſterioris PHILIPPI numiſmatibus, eiuſdem originis fidem faciunt. Vt facile videas non fruſtra eſſe, quæ de vera, & genuina HERACLIDARVM in Macedonia ſtirpe, priſci auctores magno conſenſu tradidere. Idem certè hic Nummi, quod Tabulæ veteres apud Syneſium præſtant, quas tradit ſucceſſionem Regum ab HERCVLE, ſuo tempore adhuc apud Cyrenſes arguiſſe. *In Cataſtaſi*

Immo ſplendidiorũ adhuc NATALIVM, qui ALEXANDRVM Herculis non tam traducem, quàm fratrem probarent, CORNIGERI eiuſdem in Nummis habitus fidem facit, qui illum ſcilicet Iouis Ammonis filium non minus arguit, quàm inſcriptio eiuſdem apud Philoſtratũ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC ΟΔΙΟC, aut altera apud eundem PATRI AMMONI. Ita vt eodem illo habitu ſe adhuc hodie conſpiciendum præbeat, quo illum Clemens Alexand. depictum refert, aut Ephippio apud Athenæum conuiuia frequentaſſe innuit, indutum nempe Hammonis Veſte, CORNVBVS, claua præterea & pelle leonina. Vt nõ mirũ ſit amplius, cur Aera Alexandrina apud Arabas, Epocha *Alexandri bicornigeri*, dicatur, vt obſeruat Scaliger, aut cur ille apud eoſdem DVLKARNAIM vel

De Nũmis cornutis Alexandri & Succeſſorũ.

lib. de Vit. Appollon. lib. 1 1. c. 6.

In Protrept

Deipnos l. 6

ZVLKAR-

ZVLKARNEN, ſeu *bicorniger* vocetur. In Prouincia certè quadam Balaxiæ, Reges tanquam ab Alexandro genus ducentes, ZVLKARNEN ſeu Alexandrum (h. e. bicornigerum) dici refert Paulus Venetus. *l. 1. c. 25.* Horum autem ratio lateret ferme nos hodie, ni opportunè Cornuta Alexandri & Succeſſorum numiſmata, appellationis illius cauſam & fontem indicarent.

Tranſiere enim ad eius SVCCESSORES, vna cũ imperij dignitate, eadem quoque Capitis inſignia, quò ſe vtique vel oris & habitus ſimilitudine, legitimos hæredes probarent. Neque enim ſolùm proiectam Alexandri ceruicem & leuitatem oculorum, in aliquot eorum imaginibus ſpectamus; quod annotauerat iam olim Plutarchus, *In Pyrrho.* verùm etiam leoninã pellem & CORNVA ARIETINA, quæ Seleuci, Ptolomæorum, Lyſimachi, aliorumque in nummis capita etiamnum decorant. Nec iam an ARIETINA illa, vt modò innui, vel HIRCINA cornua fuerint admodũ laboro; quod ſollicitum habuit virum doctũ in Notis ad greca Goltzij numiſmata, ob Plutarchi caprina Pyrrho tribuentis auctoritatẽ. Vtriuſque enim generis in his monumentis occurrunt, (vt de TAVRINIS iam nihil dicam,) quæ nec grauiſſimo Auctori fidem detrahunt, nec eadem inter ſe confundi patiuntur

tur

tur. Tryphonis certè nummum cum CAPRINO cornu protulit Villalpandus, qualia cornua Iunoni LANVVINAE præbēt Nummi, quum Arietina frequentius cernas ab Alexandri Hæredibus, tanquam à Ioue Ammone deſumpta. Prę aliis verò obſeruo Ammianum Perſarum Regi, *aureum capitis ARIETINI figmentum interſtinctum lapillis, pro diademate* tribuentem. Seruium verò mitto, quem ratio hic fugit, apud quem eiuſmodi Regum *Cornua ſunt propriè cincinni*; ob affinitatem ſcilicet vocis *κείρω tondere*; vel etiā vt opinor, exinde, quod cornua illa inſtar cincinnorum torta in Nummis apparent, vnde Lucano *tortis cornibus Ammon* dicitur. Immo nec moror diuerſam Cornuum id genus in Nummis originem, quam refert Appianus, qui tradit ideò Cornua SELEVCI Imaginibus appoſita, quod ſacra quondam faciente Alexandro, fugientem taurum cornu apprehendiſſet; quod malè Politianus alicubi ad Lyſimachum tranſtulit, vt viderunt iam eruditi. Antiquiorem & diuerſam illius moris rationem, præter Alexandri aliorumque Seleuco coætaneorum Principum Nūmos, nota MOSIS cornua abundè oſtentant; vt ab Hebræis ad Syros & vicinas gentes notiſſimum illud dignitatis & abundantiæ Symbolū profluxiſſe exiſtimem. Ex Oriente enim & Palæſtina, vt

lib. 19.

Ad Aen. 12

In Syriacis.

eru-

eruditis notum vſus plurimorum rituum, appellationum, inſignium, ad Græcos aliaſque gentes, diſſimulata frequenter aut interpolata origine, tranſiit. Vnde CORNVA quoque apud Gentiles obſeruo in iiſdẽ Nummis, cùm Diis nonnunquam tributa, vt IOVI AMMONI, IVNONI LANVVINAE, BACCHO, ET PANI; tum vniuerſo Bacchi choragio, SATYRIS & Capripedum gregi, vt vulgò notum; tum Heroibus, vt ALEXANDRO & Suceſſoribus; tum Legislatoribus, vt CHARONDAE, qualem nummum edidit non ita pridem vir doctus, & nuper hic in Vrbe nactus ſum. Eadem verò ita diſtinguit Porphyrius, vt Ioui arietina, Pani caprina, Libero Patri autem taurina tribuat cornua, οὕτω δὴ καὶ οἱ Ἕλληνες τῷ μὲν τοῦ Διὸς ἀγάλματι κριοῦ προσῆψαν κέρατα, ταύρου δὲ τῷ Διονύσου, τὸν δὲ Πᾶνα ἐξ ἀνθρώπου καὶ αἰγὸς συνέθηκαν. *Ita verò Graeci Iouis qnidem ſimulachro arietis cornua, Bacchi verò taurinum adaptarunt, Panem autem ex homine & capra compoſuerunt.* Inſignis verò præ cæteris cum duobus Taurinis cornibus prominentibus ANTIGONI nummus ineditus, qualem cùm alibi, tum in Theſauro Auguſtæ Reginæ inſpexi. Adeò vt meo iudicio, non minus ΤΑΥΡΩΚΕΡΩΣ dici debuerit, quàm Attalus ille Apollinis oraculo vocatus apud Pauſaniam legitur. Nec abſimili ratione geminum

De Abſtin. lib. 3.

in Phocic.

minum cornu taurinum vna cum proboſcide Elephantis AFRICAE Symbolum conſtituit in Nummo Gentis Norbanę. Ita vt non vni Deorum hominumque ordini tributum olim videamus, quaſi eximium aliquod honoris & dignitatis inſigne, quod ab Artemidori ætate ludibrij & contumeliæ argumentum etiam apud ignobiliſſimum quemque euaſit. Scilicet poſterior ætas *peior auis*; ſed me reprimo, neque enim querelarum hic locus, aut vlla mihi neceſſitas.

De Nominibus & Appellationibus à Dijs petitis.

Immo nec à Dijs ſolùm & Heroibus Natales aut Inſignia, ſed NOMINA etiam & APPELLATIONES mutuatos noſti, magnanimos illos Alexandri Hæredes. Neque enim Iouis illa vel Herculis cognatione contenti, ni DEORVM etiam titulos & honores apertè inuaderent. Vnde perſtringit alicubi Dio Chryſoſt., illam eorundem in nominibus Vanitatem, qua Ceraunos ſeu Fulmina, Aquilas, Poliorcetas, immo Deos quoque, ineptè non minus ac impiè ſe ipſos nuncuparunt. Tales vtique adhuc hodie in Nummis Ptolomæi, Seleuci, Antiochi, Demetrij, Tryphonis, aliiſque, non ſolùm cum ſplendidis, NICATORIS, NICEPHORI MAGNI, EVSEBIS, EVERGETIS, PHILOPATORIS, PHILOMETORIS, PHILADELPHI, AVTOCRATORIS etiam

Orat. 64. de Fortun.

ſeu *Imperatoris* Cognominibus, verùm etiam cum ambitioſa SOTERIS, EPIPHANIS, CERAVNI, DIONYSI, DEI quoque citra vllas ambages appellatione. Ita quidem vt ijs maximè occurrant inſigniti, qui magis in Deos ſacrilegi, aut in proximos impij, aut in ſocios perfidi extitere, aut alias cladibus magis quàm Victoriis nobilitati leguntur. Quæ recepta tamen in Oriente inanis & ſuperba titulorum nomenclatio, ad poſteros quoque eorum aut hæredes tranſiit, & adhuc hodie obuia in iiſdem oris exempla ſubminiſtrat. Vt iam in hunc cenſum non referam, minus decora, aut alias à regionibus, quibus imperitabant, deducta cognomenta, PHYSCONIS, AVLETIS, LATHVRI, HIERACIS, SEDETIS, ZEBENNIS, CYZICENI, & COMMAGENI, quæ inſuper eorundem Alexandri Hæredum Nummi exhibent. Illud verò vel beneficium vel commodum adfert ampla illa cognominum id genus ſupellex in Numiſmatibus antiquis adhuc frequens, vt confuſos vulgò inter ſe Antiochos, alioſque barbaros Reges diſtinguere, aut illuſtres eorũ appellationes, de quibus ſilent ferme Auctores, ex iiſdem deprehendere liceat.

De cognomine NICATORIS.

ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ quidem nomen SELEVCO in Nummis eiuſdem tributum occurrit, à

quo

quo incepit SELEVCIDARVM ſeries & regnum, quod illi à Victorijs potius quàm à Nicatore cæſo inditum refert Appianus, & qui Templum eidem mortuo *Nicatorium*, tanquã Heroi extructum narrat. *In Syriacis.* Quò reſpexiſſe etiã Heſychium obiter obſeruo, Νικαίωρ ἥρως, ὃν καὶ τιμῶσι τινὲς, vbi perperam hactenus Νικαίωρ legitur, errore in ſcriptis & editis veterum libris familiari. Nec audiendus eſt proinde Scaliger, qui obſeruata hac nominis varietate, *Nicanorem* tuetur auctoritate Nummorum, in quibus ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ (à Goltzio ſcilicet deceptus) Nicatorem verò dialecto Macedonica dici demum exiſtimat. *In Anim. Euſeb. p. 128.* Non ſemel, vt obiter hoc dicam, alienis oculis, virum illuſtrem nummos veteres inſpexiſſe deprehendo, quorum alias fidei & auctoritati plurimùm ſolet tribuere. DEMETRIO autem inter Seleuci Succeſſores, idem quoque cognomen Nummi largiuntur, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, qui corruptè apud Iuſtinum, & eundem Scaligerum in Excerptis Græcis, *Nicanor* hactenus vocatur. Eadem ratione NICEPHORI nomen ANTIOCHO Epiphani Balæ, vt videtur filio, adhæſiſſe, docet rarior eiuſdem nummus cum inſcr. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ, quod vix aliunde conſtare exiſtimem. *In Theſ. Magni Ducis.* Ita non ſo-

lùm alius ex Seleuci poſteris occurrit *Callinicus*, ſed & cuiuſdam *Nicatoris* Par thorum Ducis meminit Strabo, ac ſequiori æuo inter titulos Perſarum Satrapæ NIKHTHΣ etiam legitur. Qua ratione præterea apud Romanos VICTOR prænominis loco magno Conſtãtino vſurpatus, vt ex eiuſdem Nummis liquet, in quibus VICTOR CONSTANTINVS MAX. & ad eius exemplum Filius Conſtantius VICTOR Terra Marique CONSTANTIVS inſcribitur apud Ammianum; qui alibi Iulianum eius Succeſſorem VICTORINVM per ludibrium dictum obſeruat. Notæ verò eiuſdem generis, VICTORIAE, NICE CALLINICE, AGATHONICE, frequentes mulierum appellationes, quas tradunt antiqua Marmora.

Lib.16. Theoph. Symoc. Hiſt. l.4. c.17.

De cognomine SOTERIS.

ΣΩΤΗΡΟΣ vel SERVATORIS cognomẽ PTOLOMAEO LAGI à Rhodiis primum conceſſum, Nummi eiuſdem repreſentant, quod illi vtpote Syriæ euerſori, pręter fas omne tributum contendit Ioſephus, & quale aliis pluribus dein cùm Lagidis, tum Seleucidis adhæſit. Nec moror hic veteres aliquot, & recentiorũ turbam, qui SOTEREM hunc ſecundum in ſerie Lagidarum ponunt, inter quos vir doctus in explicatione huius nummi ad Vrſini imagines, quem tamen eundem fuiſſe cum Ptolomæo Lagi ex Pauſania, aliiſque

Antiq. l. 12. cap. 1.

In Atticis.

plus

plus ſatis conſtat. Id verò illi cognomen, quocunque tandem iure delatum, cum BERENICE vxore commune apud Aegyptios euaſit; qui ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ nomine poſt mortem, ambo conſecrati, vt ex Inſcriptione veteri, præter Theocritum, licet eruere. Huius autem vocis appellatio, à IOVE SOTERE vel SOSPITATORE deſumpta (quo nomine illum apud Græcos Romanoſque cultum ſatis liquet) inde ad Conſeruatores aut Benefactores Vrbium vel Populorum, ciuium adulatione, aut metu paſſim translata, vt præter alios docere poteſt Euſebius. Vnde non mirum præter Caſtores, quos ΣΩΤΗΡΑΣ omnibus dici obſeruat Strabo, Apollinem, Bacchum, Herculem, tanquam benefica numina, ſub eadem Soteris nomenclatione olim cultos, vt præter Pauſaniam alioſque oculis ſubiiciũt Lapitharum in Theſſalia Nũmi ΑΠΟΛΛΩΝ ΣΩΤΗΡ; Maronitarum Thraciȩ, ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ; & Thaſiorum ΗΡΑΚΛΕΩΣ ΣΩΤΗΡΩΣ, quam etiam appellationem eidem Herculi, non vt belluas conficienti, ſed vt tyrannorum euerſori, eximiè alicubi vindicat aurea Dionis facundia, qui ob ſimilia beneficia generi humano præſtita SERVATOREM eum iure dictum commemorat. Non eodem tamen titulo videntur adducti Athenienſes, vt templa Seleuco SO-

Hiſtor. Eccle. l. 8. c. 18.

lib. 5.

Orat. 2.

Athen. l. 6.

TE-

Plutarch. in Demetr.

Idem in Flamin.

Polyb.& Liu. l.45.

Excerpt.legat ed Reg.p.188

TERI erigerent, aut Demetrium & Antigonum, graues ſaluti Græcorum Reges, SOTERES nuncuparent;quo nomine alias Græci Flaminium ob adſertam in libertatem Greciam in publico Gentis conuentu cohoneſtarunt; & vniuerſos Patres Conſcriptos Pryſias Bithyniæ Rex in aditu curiæ ſalutauit, ΧΑΙΡΕΤΕ ΘΕΟΙ ΣΩΤΗΡΕΣ. Adeo quidem, vt Rex Regum Choſroes, auxilii indigus, litteris ad Mauritium Imperatorem ſcriptis, eum SOTERIS nomine cum epithetis aliis compellet, & Romanos in genere SOTERES vocare non erubeſcat. Eadem quoque appellatione inſignitum ab Athenieſibus HADRIANVM probat præclarus eiuſdem Nummus, ΟΛΥΜΠΙΟΝ ΣΩΤΗΡΑ ΤΟΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ ΙΔΙΟΝ. At enim maiori cum dedecore prodiit ex eadẽ Lagidarũ ſtirpe, præter Soteres alios, illa non SOSPITA, ſed *Aegypti feralis Erynnis* CLEOPATRA, cui tamen ΣΩΤΕΙΡΑΣ cognomen Nummi etiam tribuunt; quo ſcilicet nomine præter Mineruã apud Athenienſes, DIANA in Sicilia, CERES Apameæ, PROSERPINA Cyzici colebantur, vt ſelecta illorum tractuum Numiſmata oſtendunt, cum nuda etiam appellatione ΣΩΤΕΙΡΑΣ, de quibus alibi. Vnde inſuper ſatis liquet, quàm meliori titulo ac iure, non vnius Vrbis aut Populi, ſed vniuerſi generis

neris

neris humani liberatorem, antiqua Helleniſtarum pietas SOTEREM ſalutauit.

ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ familiare in iiſdem numiſmatibus nomen occurrit, quo præſentes in Myſterijs Deos Gentiles olim proſequebantur. Vnde etiam Epiphaniæ frequentes eorum apparitiones dictæ, vt eruditis notum. Ita Plutarchus de templo quodam Siciliæ verba faciens, διὰ θεῶν ἐπιφάνειαν ἔνδοξος, ἃς καλοῦσι, ματέρας, ab illis Dearum loci præſidum Epiphanijs ſeu apparitionibus, claritudinem conſequutum docet. Lucianus verò agens de Hephæſtione ab Alexandro conſecrato, adulatores corpore illius combuſto, ſomnia præterea Hephæſtionis, Epiphanias quaſdam, aliaque eiuſdem vaticinia præ ſe tuliſſe, quò iuuenili Alexandri cupiditati indulgerent. Hinc autem ad Reges Alexandri ſucceſſores, tanquam manifeſtos quoſdam & conſpicuos in terris Deos, Hephæſtione certè haud inferiores, & tum magis viſibiles, translata eadem appellatio, vt præ alijs nummus ANTIOCHI clarè exprimit, cum vtroque titulo ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Quod ipſum firmat egregiè Appianus, qui Antiochum narrat Epiphanem dictum, quod expulſis e patrio regno tyrannis, quaſi patrius & domeſticus Rex illi apparuiſſet βασιλεὺς οἰκεῖος ὤφθη. Epiphaniæ enim illæ Gẽtilium, quod obſeruo, maximè de patrijs ac do-

De cognomine EPIPHANIS.

In Marcello

De Incredul.

In Syriacis.

domeſticis Dijs & eorum manifeſtatione, vel prę́ſentia (vt Tullius illam vocat) ſumebantur; vt præter citatum Plutarchi locum, au-
Orat. 33. ctor mihi Dio Pryſæus, qui tradit, vulgò credi conditores Heroas, ac Deos, vt maximè eos decet, adire frequenter ſuas ciuitates, & maximè feſtis ac ſolemnibus diebus, aliis autē non conſpicuos. Sacra quin etiam inſtituta à Gentilibus, ad prouocandas vel celebrandas illas domeſticorum Numinum apparitiones, licet ex Athenæo colligere, qui refert Demetrium Phaleræum, fratre Himeræo ab Antipatre trucidato illius Epiphania celebraſſe
lib. 12. ὡς τὰ ἐπιφάνια τοῦ ἀδελφοῦ θύων. Quæ ſacrificia ſcilicet ad indicandam fratris interfecti tanquam EPIPHANIS, & quaſi in Deos relati præſentiam ſeu manifeſtationem inſtituebat Demetrius, haud aliter ac illo Epiphaniæ ſeu apparitionis argumento conſecrationem Hephęſtionis mentiebantur amici Alexandri. Ita eadem ſacra ΘΕΟΦΑΝΙΑ etiam dicta ex
lib. 4. c. 10. Philoſtr. obſeruo, vbi Lacones interrogati, an ob præſentiā Apollonij Thyanei Theophania agitarent, εἰ καὶ θεοφάνια ἐπ' αὐτῷ ἄγουσι. Vnde patet ἐπιφανείας & θεοφανείας vocē de ipſa apparitione, ἐπιφάνια verò ſeu θεοφάνια vſurpata pro feſtis in earū memoriā agitari ſolitis, quod diſcrimen nonnullis etiam Scriptoribus Eccleſ. obſeruatum videas. Neque verò his ſolùm in cō-

me-

memoratione ſacri myſterij,ſed Gẽtilibus quoque θεοφανίας vocem pro Epiphania promiſcuo vſu ſumptam, vt mirer aliter has voces nonnũquã doctiſſimis viris acceptas.In Euſebij verò Chronico,ex verſione Hieronymi.Caius Cæſar dicitur Petro Petronio Præfecto Syriæ præcepiſſe, ſibi Statuam poni Hieroſolymis, ſub nomine IOVIS OPTIMI MAXIMI.Hæc autem poſtrema in Euſebianis Græcis Scaligeri exprimuntur, ΔΙΟΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ h. e. iuxta eundem Scaligerum *Iouis Illuſtris*, prouulgata ſcilicet cognominis huius Epiphanis apud interpretes ſignificatione. Quo tamen huius appellationis dignitatem, aut vim vocis non videtur mihi adſecutus, qua meo iudicio inſtar Iouis præſentis & manifeſti, abſens etiã Caius à Iudæis ſuſpici Hieroſolymis ac adorari impiè voluit; quæ felicitas reuera paullo ante eidem, ſed ingratæ Vrbi contigerat,in conſpectu vnici & veri vel ΔΙΟΣ vel ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Neque enim ideo, quod inter ἀοράτους ſeu Inuiſibiles Deos,primum locum Ioui adſcripſerit Theologia Gentilium, minus hoc illi EPIPHANIS ſeu manifeſti cognomẽ conuenire quiſquam exiſtimet. De his enim alias nõ cõſpicuis Deis,nec φαινομένοις inſtar Solis & Lunæ, Epiphaniæ illæ Gentilibus ſumebantur,tanquam de ſingularis cuiuſdam & alijs inconceſſi beneficij prærogatiua, vt modò ex *Plutarch. Quæſt.Rom*

Pryſæo vidimus. Vnde facile etiam adſequimur, cur eam vocem Epiphaniæ, non ad fictã aut inanẽ, ſed veram vel ΘΕΟΦΑΝΕΙΑΝ, vel ſalutaris, Syderis apparitionem primis Chriſtianæ Reipublicæ Triumuiris manifeſtati, Societas Chriſtiana iam olim traduxit. Ad hanc verò ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ appellationem Antiocho in eiuſdem Nummis alijſque dein tributam, reſpexiſſe patet Choſroem Per-
lib. 4. ſarum Regem apud Theophylactum, qui inter inanes titulos, ambitioſum quoque illud præfert; *inter homines Deos* ΘΕΟΣ ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΟΣ. Nec tamen vt idem Appianus innuere videtur, & nuper adſeruit vir doctus, ANTIOCHVS Magni filius EPIPHANES primùm dictus, quamuis frequentius hoc nomine apud veteres Ioſephum, alioſque indigitetur, & cui alias EPIMANIS ſeu inſani nomen aptius quàm EPIPHANIS conuenire tradit Athenæus, ſicut alibi EVERGETEM
lib. 12. ſeu Benefactorem Ptolomæum, Alexandrinis ſeu Malefactorem, dictum obſeruat. Eadem enim appellatio SELEVCO NICATORI, à quo vt dixi Stirpis & regni origo iam ante conceſſa, vt docet illius Nummus, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, quod fruſtra hodie apud Auctores quæras, nec ad alium Seleucum referri debet. Ab illo verò Antiocho Epiphane di-

dicta videtur vrbs Epiphania,ex qua oriund us Euagrius, & de qua præter Geographos adeūdus Ioſephus. Quod verò non prætereūndū hoc loco, familiare illud EPIPHANIS cognomen non LAGIDIS ſolùm & SELEVCIDIS h. e. primis Alexādri Hæredibus euaſit, ſed ad NICOMEDES Bithynios, TIGRANES Armenos, & Parthorum ARSACIDAS etiam tranſijt; quod vix aliunde, quàm ex eorundem Numiſmatibus nobis liquet. Donec poſteriori adhuc æuo, non EPIPHANES ſolùm, ſed ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΟΙ dicti eorum Succeſſores Perſarum Reges, vt modò vidimus; quando ſcilicet EPIPHANES dicti eorū Præfecti, vt vel arguit vna inſcriptio litterarū Varami Satrapæ,apud Theophylactū Simocattā *Antiq. l. 1. cap. 7.* *Hiſtor. l. 4. cap. 7.*

ΚΕΡΑΥΝΟΥ ſeu FVLMINIS cognomentum PTOLOMAEVM Soteris filium maiorē, & fratrem Philadelphi geſtaſſe, præter Auctores, Nummus eiuſdem docet, ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΕΡΑΥΝΟΥ. A celeritate verò ſeu vi ignea fulminis, nomen hoc illi adhæſiſſe tradit Pauſanias; Memnon autem apud Photiū, ab importunitate morum ſeu væcordia. Vnde mirum videri poſſet, hoc contumeliȩ iuxta Memnonem vocabulum, non à maleuolis ſolùm, aut ioco militari huic Ptolomæo tribui, ſed ab eodem etiam in Nummis ſignari;quod Caios & Antonios Baſſianos, in Caligulæ, *De Cognomine CERAVNI.* *In Atticis.*

aut Caracallæ nominibus haud videmus vſurpaſſe. Quamuis enim AVLETIS, PHYSCONIS, & HIERACIS minus decoræ appellationes in Ptolomæorum numiſmatibus etiamnum obuiæ, firmare Memnonis ſententiam poſſent, aliundè tamen potius & à Iouis FVLMINATORIS epithetis, iuxta Soteris aliaque id genus cognomina inde petita lubet deriuare; quod firmat etiam Lucianus, qui Aegyptios præ gentibus aliis Deorum Cognominibus ad ſatietatem vſos notat. Ita ſcilicet eodem nomine inſignitus occurrit vnus e Seleucidiarum genere, quem CERAVNVM etiam dictum obſeruat Euſebius. Huius verò nominis rationem liceat mihi ex Appiano eruere, qui Seleucum Nicatorem in condenda Seleucia ad mare, ſequutum refert augurium fulminis, & ideo Fulmen in eadem urbe, haud aliter ac inſtar Numinis conſecratum. Ex quo lucem fœneratur, Heſychius, qui Iouē ſub CERAVNII nomine Seleuciæ cultũ obſeruat Κεκεραύνιος ἐμβρόντιστος καὶ Ζεὺς ἐν Σελευκίᾳ. Vnde facilè iam licet adſequi, cur vnus e Seleucidis, inter alia Deorum & Iouis ipſius cognomina vſurpari tum ſolita, CERAVNI quoque appellationem ſacram in eodem tractu ambiuerit, aut cur obuium fulmen in Seleucię Nummo aræ impoſitum & vittis hinc inde pendentibus, cum *I*nſcrip. illius Vrbis

In Imag.

In Syriacis.

In Theſaur Regin. & Magni Ducis.

Vrbis ; qui mirificè illuſtrat geminum hunc Appiani & Heſychij locum. Nec minus poſſunt ex ijs illuſtrari frequentes in alijs Lagidarum & Seleucidarum nummis, Aquilæ Fulmini inſiſtentes, & duæ nonnunquam cum alis expanſis & fulmine, vt in quodam Ptolomæi numiſmate; vt nihil de Pyrrhi, Agathoclis, Hieronymi, aliorumque id genus Regum aut Tyrannorum Nummis dicam, cum ſignato in iis fulmine. Aliud verò ſtatuendum de Alcibiadis ſymbolo, quem in Clypeo nullum aliud inſigne gentilitium expreſſum geſtaſſe refert Plutarchus, præter Amorem ΚΕΡΑΥΝΟΦΟΡΟΝ. *In Alcibiade*

At verò Deorum cognominibus non ſolùm, ſed Nominibus etiam occurrunt nonnunquam inſigniti, vt DIONYSII ſeu Liberi Patris adſumpto vero nomine, ANTIOCHVS vnus e Grypi filijs, ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥ; de quo Ioſephus aliique poſſunt conſuli. Annotauit id iam olim Lucianus, qui Deorum appellationes obſeruat ab hominibus petitas, vt DIONYSII, Hephæſtiones, Zenones, Poſidonij; quæ nec in nominum ſolùm ſed cognominũ etiam vicem, vt hoc loco tranſiere. *Ita* & THEMISO HERCVLES apud Athenęum, & rurſus STRATONICIS VENVS ab vxore Antiochi Soteris apud Tacitum, & in Marmori- *De cognomine DIONYSI.* *In Imaginibus.*

moribus Arundellianis; quo honore proſtibula etiam ſua decorarunt Græci; vt de PHILE & LAMIA VENERE, ex Athenæo eruditis iam notum. Nec mirum tamen, ſacris vulgaris huius Deæ aſſiduè operatas, ab eadem nominis decus reportaſſe; quum à Deo ſcilicet, à quo honorem adepti, nomina iam olim mutuatos veteres ex Plutarcho nouerim; vnde alium Athenæum, alium Apollonium, aliũ etiam DIONYSIVM dictum obſeruat; qui locus mirè hæc & ſuperiora ſimul illuſtrat. Tranſiere verò illius inſaniæ exempla ad Romanos, vnde & in monimentis veterum, *IOVIS AVGVSTI*, *IVLIAE IVNONIS*, & ſimilium mentio, ac in Nummis, *APOLLINI AVGVSTO*, *HADRIANO HERCVLI COMMODIANO*, *IOVIO GALERIO*, ſicut aliundè *IOVIVM DIOCLETIANVM*, & *MAXIMIANVM HERCVLIVM* dictos accepimus. Ita referre huc etiam debent frequentes in iiſdem Nummis *IVNO*, vel *CERES*, vel *VENVS AVGVSTA*, cum Dearum habitu, & Auguſtarum effigie, vt ex earundem Statuis licet hic etiamnum obſeruare. Vt mittam frequentia in Lapidibus veterum petita à Diis Deabuſq; *Mercurij*, *Saturni*, *Phœbi*, *Dianæ*, *Palladis*, *Aphrodiſiæ*, *Athenaidis*, aliaque id genus nomina Ipſum verò *DIONYSI* cognomen, præter

Deipn. l. 6. & 13.

De Oracul. Def.

adle-

adlegatum ex Nummis *ANTIOCHVM* iudicio Tullij Regum poſt Alexandrum maximo *MITHRIDATI*, præter Appianum tribuit Dio Pryſæus; alius verò vnum e *Ptolomæis IVNIOREM DIONYSVM*, ſeu Bacchum nuncupatum tradit. Haud aliter ſcilicet M. Antonius omni eiuſdem Dei cultu adſumpto, hedera, pampino, *MINOR DIONYSVS* olim dictus, quem cultum præter Plutarchum, & Dionem, aliquot Nummi eidem tribuunt, & Auguſtum vitio illi vertiſſe accepimus. Nec minus etiam *ANTIGONVS* verò eiuſdem Bacchi habitu inſignitus apud Herodianum occurrit, quò refero *TAVRINA CORNVA* illi in Nummis aliquot tributa, vt ſupra monui; ad exemplum ſcilicet Liberi Patris, cuius flores iuuenta, inuictum robur, longæ peregrinationes, & vitæ hilaritas, hos illi vel cultores vel æmulos Reges conciliarunt.

Accadem. Lucull. Orat. 37. Menand. Prot.

Plutarch. in M. Anton.

lib. 48. Idem lib. 50

Hiſtor. l. 1.

Immo nec Superbis Deorum cùm Nominibus, tum Cognominibus contenti, ni ipſa quoque DEI appellatione (quò nempe Cœlitibus nihil reliquum facerent,) viui & in terris etiamnum agentes fruerentur. Adeo vt impletum in ſucceſſoribus videatur votum Alexandri, qui vt tradit aureus orator, DEVS eſſe noluiſſet poſt mortem, niſi aliorum DEORVM Rex eſſet. Quo nomine

De cognomine DEI.

Dio Chryſoſtom. Orat. 4.

exa-

exagitat eoſdem præclarus auctor, quod moriendi neceſſitati obnoxij, Immortalis Dei appellationem ineptè ſibi vindicarent. Hinc illa ΘΕΟΥ momenclatio, cognominis loco ab *ANTIOCHO* Seleuci Nicatoris Nepote primùm vſurpata, vt veſaniam illam arguit adhuc hodie eiuſdem Nummus, cum inſcriptione ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ, & alterius Antiochi, ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. Sic *DEMETRIVM NICATOREM* eiuſdem impietatis reum probant illius Numiſmata ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ; quo nomine etiam alterum Demetrium Poliorcetem ab Athenienſibus nuncupatum, Plutarchus & Athenæus tradunt; ita quidem vt ſolum eum verum Deum agnoſcerent, reliquos autem aut dormire, aut abijſſe peregre profiterentur. Vnde etiam nonnullam lucem mutuatur Actorum & Ioſephi locus, vbi Herodes Agrippa DEVS à circumfuſa multitudine proclamatur, iuxta morem nempe in vicina Syria, Aegypto, alijſque Orientis partibus iam familiarem. Adeò vt illius exempla ad mulieres quoque diffuſa paulatim fuerint, vt *BERENICES*, *ARSINOES*, *STRATONICAS*, *CLEOPATRAS*; quod vix aliundè tamen, quàm ex Lapidum, Nummorumque monumentis licet hodie colligere

De

De BERENICE Ptolomæi Lagi coniuge, ſupra vidimus, eam ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ nomine, vna cum marito apud Aegyptios conſecratam. De ARSINOE verò eiuſdem filia, fidem mihi facit rariſſimus Nummus argenteus, cum duobus capitibus junctis in vtraque parte, & inſcr. ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ. Idem enim ad PTOLOMAEVM PHILADELPHVM & ARSINOEN ſororem eiuſdem & Conjugem, referendum, indicabam nuper, vt noſti, fori huius antiquarij regulo, Franciſco Gottofredi, ab eodem de illius explicatione conſultus, & cujus beneficio pręclari nummi notitiam debeo, qui Auguſtæ Reginæ Theſaurum locupletare nouiſſime meruit. Id nempe ſuadebant ad primum illius adſpectum, & diadematis Regem arguentis, nec ab vno e Ptolomæis alieni, vt mihi videbatur, effigies; cùm inſanus ejuſdem erga ſororem Arſinoëm amor, quem & adſumpto PHILADELPHI nomine, & nefariis nuptiis, templis præterea, aliiſque diuinis honoribus profeſſum memineram: tum obvia ejuſmodi appellationum apud eoſdem Aegyptios exempla. Adeo vt quod ſola ductus conjectura monueram, & vt veriſſimum continuò arripuit optimus & laudatiſſimus Senex, indubitatum poſtea deprehenderem, ex lectione Monumenti Adulitani,

Q, mihi

mihi tuo beneficio cognito, quod ex vetuſtiſſimo codice edidit iamolim V. Cl. & de litteris eximiè meritus Leo Allatius. In eo enim præclara Ptolomæi Euergetæ, filij hujus Philadelphi inſcriptio, quam præteritis diebus fruſtra quæſitam, vir optimus ac omnis Romanæ antiquitatis intelligentiſſimus Benedictus Mellinus noſter, opportune ſubminiſtrauit. Ita autem ſe habent prima Inſcr. verba,

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ ΥΙΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ, ΤΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΒΕΡΕΝΙΚΗΣ ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ ΑΠΟΓΟΝΟΣ. Vt hinc etiam intelligamus, non ſolùm Philadelpho & Arſinoë hanc ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ appellationem tributam, ſed eandem etiam ad Parentis vtriuſque ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ exemplum, de vtroque conjuge fratre & ſorore formatam. Videtur autem illa nomenclatio ab Apolline & Diana deſumta, iuxta morem Aegyptiorum iam nobis Luciani & Nummorum fide abunde declaratum; ut ſi mauis à Ioue & Iunone, ex quorum etiam auctoritate & exemplo has Ptolomæi & Arſinoës nuptias defendit in præclaro alias Idyllio Theocritus. Goltzium certè ge- *Idyll. XVII.*

minam

minam nummi Inſcriptionem vidiſſe poſtea ex eiuſdem Theſauro deprehendi, ſed quam ad Apollinem & Dianam referre illi placuit. Sic alteram inſcriptionem Aegyptiam obſeruo apud Gruterum, cum ijſdem vocibus ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ, & in vltima lapidis parte ΣΥΝΘΡΟΝΟΙΣ ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩ ΘΕΟΙΣ; quæ ad Philadelphum & Arſinoëm ſanguine, ſolio, & eadem hac appellatione junctos, omnino ſunt referenda. Ad alteram verò *ARSINOEN* ſpectat alius Nummus cum capite velato, gemino cornucopia & inſcriptione ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. Lyſimachi nempe conjugem & huius Philadelphi Filiam, qualem expreſſit in imaginibus Vrſinus, & nos aureum & argenteum aliquoties vidimus. Idem tamen huius *A*rſinoës cum priori fatum, ſi fides Memnoni apud Photium, qui tradit eam poſt Lyſimachi nuptias, fratri etiam, Ptolomæo nempe Cerauno nupſiſſe. Quin alteri quoque *A*rſinoë consecratæ templum erectum narrat Pauſanias, Lacenæ nempe, non *A*egyptiæ, & ſorori vxorum Caſtoris & Pollucis, hoc eſt totidem rurſus ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ: vt fatalem quandam in hoc *A*rſinoës nomine cum huiuſmodi appellatione communionem videas. *A*t verò præter has *A*egyptias Berenicem & *A*rſinoëm, *STRATONICA* Syra *Lacon. in*

vxor primò Seleuci, dein Soteris Antiochi, ΘΕΑ pari ratione vocatur in Marmoribus Arundellianis; quæ appellatio alterius Antiochi, Grypi nempe Matri CLEOPATRAE, tribuitur in Nummis, ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ ΘΕΑΣ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Quod illuſtre ſcilicet monumentum pietatis huius Antiochi in matrem Cleopatram, vt intelligamus cur eidem Regi in Nummo præponitur cum DEAE nomine, aut cur idem Antiochum, non *GRYPI* ſolùm, ſed *PHILOMETORIS* etiam cognomine à Porphyrio in Excerptis Græcis Scaligeri vocetur. Quod verò ferme exciderat, referendum ad Stratonices huius non maritum, ſed filium Antiochum nomenclatio illi tributa in vetuſtiſſimo Smyrnæ Fœdere Marmorum Arundellianorum, ΘΕΟΣ ΚΑΙ ΣΩΤΗΡ. At corrigendus, vt obiter hoc dicam, Memnon apud Photium, vbi Seleucus Aſiam filio Ἀντιγόνῳ commendaſſe dicitur; quum non Antigonus tamen, ſed alter Antiochus huius Antiochi *DEI* parens, Seleuci filius fuerit; quod vt tralatitium miror eruditiſſimum Schottum præteriiſſe. Nec tamen intra Aegyptios & Syros, eadem ſe continuit inſania, quin ad vicinos aut hæredes eorum potentiæ Reges tranſierit, Ita *MITHRIDATES* ſuperſtes etiamnum

In Theſauro Magni Ducis.

diuinis

diuinis honoribus à ciuitatibus cultus & ΘΕΟΣ præterea appellatus apud *A*thenæum legitur. Idem de *PHRAATE* Parthorum Rege obſeruat apud Photium Phlegon, φραάτης inquit (non φραάτης) ὁ ἐπικληθεὶς ΘΕΟΣ *Phrates cognominatus* DEVS. Vnde ſucceſſores eorundem Perſarum Reges, non Fratres ſolùm Solis aut Lunæ & participes ſyderum dicti, ni manifeſtiorem adhuc Diuinæ & Humanæ naturæ communionem indicarent. Liquet idex Epiſtola Choſroæ Hormiſdæ filij. χοσρόης βασιλεὺς βασιλέων εἰρηνάρχης τοῖς ἀνθρώποις σωτήριος. ἐν ΘΕΟΙΣ μὲν ΑΝΘΡΩΠΟΣ ἀγαθὸς καὶ αἰώνιος, ἐν δὲ θνητοῖς ἀνθρώποις ΘΕΟΣ ἐπιφανέστατος. *Choſroës Rex Regum Pacificus, Hominibus ſalutaris, inter* DEOS *quidem* HOMO, *bonus ac æternus, inter* DEOS *autem Homines*, DEVS *præſentiſſimus*. *A*gnoſcis impiam ad vnici Seruatoris ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΥ, & Sacra Chriſtianorum myſteria alluſionem. Athenienſes verò & Græci reliqui, præter Antigonum & Demetrium ſupra memoratos T. *FLAMINIVM* ob libertatem redditam, non ΣΩΤΗΡΑ ſolum, ſed ΘΕΟΝ etiam declararunt. Id certe ex præclara eiuſdem Gemma eruit vir doctus ad Vrſini Imagines. Hinc ad Patres conſcriptos tranſlata quidem à Pryſia Rege appellatio, quam ſupra memoraui, ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ, ſed & Nummi

Theophyl. Simoc. l. 4.

Nummi paſſim in Græcorum Ciuitatibus percuſſi, cùm inſcriptione, quam iidem adhuc hodie exhibent, ΘΕΟΝ ΣΥΝΚΛΗΤΟΝ, ſeu DEVM SENATVM. Donec tandem Vrbs veſtra eodem etiam cultu affecta; vnde ΘΕΑ ΡΩΜΗ, non ſemel in priſcis nummis occurrit appellata; ſicut à Poeta haud incelebri, *Terrarum DEA Gentiumque ROMA*. Nec mirum proinde ſequiori adhuc ætate, propudia quidem Romani nominis, ſed rerum Dominos, *CAIVM, DOMITIANVM*; *DEI* nomen impiè ambiuiſſe, quo nomine poſtremum hunc ab vniuerſis Græcis appellatum, præ aliis docet & ſugillat Dio Chryſoſthomus. Idem etiam nomen *CARVM* Cæſarem geſtaſſe, non auctor ſolum Calpurnius, ſed eiuſdem Nummi *DEO ET DOMINO CARO AVG.* quod perperam Scaliger ad Carum defunctum iam & conſecratum refert; quum deſint tamen ibi ſolita conſecrationis vel nomina, vel Symbola. Certe præter rationes aliàs, & coætaneos auctores, qui docent Carum adhuc ſuperſtitem id nomen affectaſſe, vt iam olim ad Iuliani Cæſares monui, DIVI non DEI nomen conſecratis olim *Auguſtis* perpetua quadam obſeruatione tributum conſtat; vt præter *Auctores*, vulgò è Nummis notum, ac vel ipſius Cari apud Occonem cum DIVI elogio, &

Orat. 45.

*A*quila

*A*quila aliiſque conſecrationis notis. Græca enim fuit ΘΕΟΥ, vt notum, ſeu in Deos poſt mortem relati, non Romana appellatio: ſed de conſecrationis nomine aut Symbolis infra, & alibi adhuc accuratius.

De cognomine MAGNI.

Minus veſana hic fortè aut importuna MAGNI appellatio, à Prouinciarum aut rerum geſtarum amplitudine deſumpta; nec Alexandro ſolùm, ſed eiuſdem ſucceſſoribus nonnunquam tributa. Antiocho non tam ampliata, quàm imminuta à Romanis magnitudine inclyto, MAGNI tamen appellationem iam olim adhæſiſſe, ſi non aliundè, certè ex eiuſdem Nummis conſtaret, ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Eadem in alterius quoque *A*ntiochi Commageni Numiſmate occurrit, Β*Α*CΙΛΕVC ΜΕΓ. ΑΝΤΙΟΧΟC ΕΠΙ..... (h. e. ἐπιφανὴς) ΚΟΜΜ*Α*ΓΗΝΩΝ. Ptolomæum Lagi alias Soterem; Magnum etiam vocat Iuſtinus, ita tamen vt cognomentum illud continuo geſtaſſe inde argui non poſſit, quod nec Nummi, Lapides, vel antiqui Auctores docent. *P*tolomæo tamen Euergetæ, eiuſdem nepoti eandem tribuit vetus inſcriptio ſupra adlata, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ. Tranſiit verò illa appellatio ad Arſacidas, niſi eandem potius ab antiquis Perſarum Regibus mutuati; vnde & Xerxes ΜΕΓΑΣ vice

In Theſauro Auguſtæ Reginæ.

cogno-

cognominis in Excerptis Græcis Scaligeri vocatur. *E*andem verò peculiarem *A*rſacidis evafiſſe, vt vulgo notum, præ aliis obſeruat
Orat. 111. Dio Chryſoſthomus, ὅθεν δὴ καὶ ΜΕΓΑΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ κέκληται μόνος. *Vnde etiam & MAGNVS REX ſolus vocatur*. Hinc apud Herodianum *A*rtabanus ΜΕΓΑΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ dictus, & Caracalla, litteris ad *A*rtabanum Parthorum Regem ſcriptis, ΜΕΓΑΛΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ filiam ambire ſeſe profitetur; ſcilicet vt ſub blanda affinitatis illius & honoris ſpecie, incautum eundem opprimeret. In *N*ummis autem Severi, Abgarus Edeſſæ Regulus Magnus etiam vocatur, ΑΒΓΑΡΟϹ ΜΕΓ. ΒΑϹΙΛΕΥϹ; quod in ludibrium Parthorum Regis tributum illi à Severo exiſtimat Triſtanus. Ita Chaganus quoque Dynaſta litteris ad Mauritium Imperatorem ſcriptis, Magnum Dominum ſe
Excerpt. legat. ed. Reg. p. 190. ipſum indigitat: τῷ Βασιλεῖ τῶν Ῥωμαίων ὁ χάγανος ΜΕΓΑΣ ΔΕΣΠΟΤΗΣ. Quæ alias Δεσπότης ſeu Domini appellatio, vt obiter hoc dicam,
Orat. 45. & Domitiano à Græcis quondam tributa, auctore Dione Chryſoſtomo, & Cambyſi Perſarum Regi jam olim vt propria adhæſerat, ſicut obſervat alicubi Themiſtius. Vnde non
Orat. V. mirum eundem hunc ΜΕΓΑΛΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ titulum, Cæſaribus frequenter ab auctoribus Græcis adſcribi, quo nomine & Diodetianum

cletianum deſignat alicubi *Euſebius*, alibi verò Conſtantinum, & *Arcadium* Syneſius, ita tamen vt vulgò Cæſares, ab hac appellatione abſtinuiſſe, ex eorum *N*ummis ſatis conſtet; præter Conſtantinum, cui *MAXIMI* appellationem *N*umiſmata eiuſdem haud immeritò largiũtur. *Lib. de vit. conſt. 1. cap. 12. lib. 1. Præm. Orat. de Reg*

Auguſtiorem adhuc *REGIS REGVM* appellationem Parthorum Regibus, non vulgò ſolum *A*uctores, ſed rariores etiam *ARSACIDARVM* Nummi largiuntur, quos adferre hic obiter haud erit inconſultum. Vnum obſervavi in Theſauro Magni Ducis, diuerſum ab eo, quem edidit Triſtanus, ARCAKOΥ ΔΙΚΑΙΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΚΑΙ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟC BACIΛΕΩC BACIΛΕΩΝ. Alterum Florentiæ itidem inſpexi, in Cimelio Gaddiano, fugientibus & exeſis litteris ARCAKOΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥC ΦΙΛΕΛΛΗΝΟC. Tertius verò hic in vrbe penes Excellentiſſimum Principem Auguſtinum Chigiũ adſeruatur, reliquis adhuc meo iudicio rarior, BACIΛΕΩC BACIΛΕΩΝ ΒΟΛΑΓΑCΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΚΑΙ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟC. Geminum quidem vidiſſe Goltzium colligo, ſed cujus lectionem non eſt ad ſequutus, ita vt apud eundem divinare illam potius, quàm conijcere liceat. Ad hunc enim refero, quem ſub corrupto nomine ANOΥΛΑΓΑC pro *De cognomine REGIS REGVM.*

R ΒΟΛΑ-

Digitized by Google

ΒΟΛΑΓΑCΟΥ cum Epithetis reliquis *Epiphanis*, *Philellenis*, & *Regis Regum*, adduxit. Nec felicior idem fuit, in eruendo nomine Arſacis, pro quo ARCANOΥ in ejuſdem Theſauro perperàm legitur. Ex præclaris autem hiſce priſci ævi reliquiis, quas quibuſvis gemmis potiores ipſe ſat ſcio fateberis, Arſacidas videmus *EVERGETIS* ac *EPIPHANIS* inter ſe cognominibus diſtinctos, non aliter ac Lagidas & Seleucidas, à quibus nempe imperij ſimul inſignia & potentiam ſunt mutuati. *I*d verò quod præſidium adferat eruditis ad Hiſtoriæ veteris elucidationem, & Arſacidarum vel imprimis, quorum ſeriem vt confuſam aut vulgò ignotam tradere refugit Scaliger, iudices fero omnes ſerium litterarum amorem aut cultum profeſſos. *REGIS* quidem *REGVM* appellationem in ijſdem Nummis obuiam, à Perſis ad Parthorum Reges, & ab his rurſus ad Perſas rediiſſe, tralatitium nimis, quàm vt probatione indigeat. Græci enim non ſolùm aut barbari, ſed Romani etiam Scriptores eandem non verentur Arſacidis tribuere, vt ex Suetonio in Caligula, aliiſque vulgò iam notum. Ita vt eandem præter Auctores & Nummos, Marmora quoque illis tribuant, in præclara Inſcriptione, quam vidit iam olim Scaliger; in qua duo Phraatis liberi ob-

Vid. Canon. Iſag. lib. 3.

Can. Iſag. lib. 3.

ſides

ſides Romam miſſi *PHRAATIS REGVM REGIS FILII* Romano etiam ſermone, citra ambages vocantur. Immo nec abſtinuiſſe invidioſa alias appellatione Parthorum Reges, in litteris ad Romanorum Duces aut Cæſares etiam ſcriptis ſatis conſtat; vt ex Epiſtola Phraatis ad Pompeium, alterius Phraatis ad Auguſtum, Vologeſis ad Veſpaſianum, Saporis ad Conſtantium, & Hormiſdæ ad Iuſtinianum licet colligere. Nec tamen illis idem titulus à Romanis continuò delatus, vt in reſponſo Pompeij, & litteris Auguſti ad Phraatem videre eſt apud Dionem. Vnum forte excipias Veſpaſianum, quem à Vologeſe compellatum (à quo fortè ſuperior nummus percuſſus) *Rex Regum Arſaces Flauio Veſpaſiano ſalutem*, eidem totidem verbis reſpondiſſe, nullo ex imperatoriis nominibus adſumpto, auctor eſt Dio. Illuſtre quidem exemplum Chotroæ Perſarum Regis, ſed profugi & opis indigi, apud Simocattam obſervo; qui litteris ad Mauritium Imperatorem ſcriptis, non ſolum ab ea *REGIS REGVM* appellatione ſibi temperat; ſed filium ſe illius Auguſti & ſupplicem vocat, & omnia ſupremæ maieſtatis elogia plena manu in eum congerit. Idem tamen alias ad Sergium Martyrem ſcribens, ſolitam *REGIS REGVM* retinet appellationem. Nec tamen eadem ita Partho-

Dio lib. 37. Idem l. 55. Idem l. 66. Am. Marcell. 1. Menand. protect. p. 137. ed. Reg.

lib. 37.

Lib. 66.

Theophyl. Simoc. ed. Reg. p. 185. Item lib. 5. cap. 1.

Theophyl. l. 5. cap. 4.

rum aut Perſarum Regibus adhæſit, vt ad eorum exemplum alij nonnulli Barbarorum Reges eandem ſibi aliquando non vindicarint *PRIAMVM* certe & Antiquos *TROIAE* Dominos, *REGES REGVM* dictos notat Strabo, & *TIGRANES* Armenus, Velleio Regum maximus, Plutarcho in Lucullo, & apud Appianum eodem *REGIS REGVM* titulo cohoneſtatur. Ita legebam nouiſſimè apud Photium, *MITHRIDATEM* eandem quoque appellationem ambiviſſe; quem narrat Memnon, Lucullo, omiſſo Imperatoris nomine, reſpondiſſe, quod ab eodem *REGIS REGVM* titulo prior compellatus non fuiſſet. Immo illa fax Aegypti *CLEOPATRA*, ſuperbo quoque REGINAE REGVM nomine decorata apud Dionem legitur, & eiuſdem filius Cæſario e Cæſare ſcilicet genitus, REX REGVM etiam renuntiatus; ἐκείνην τε (ſcil. M. Antonius) βασιλίδα βασιλέων καὶ τὸν πτολεμαῖον, ὃν καισαρίωνα ἐπωνομάζων βασιλέα βασιλέων καλεῖσθαι ἐκέλευσε. Prioris verò illuſtre exemplum Nummi etiamnum exhibent, *REGINAE REGVM FILIORVM REGVM CLEOPATRAE*; vnde ſatis liquet erraſſe eruditos, qui apud Dionem βασιλίδα βασιλίδων pro βασιλέων ſeu *Reginam Reginarum*, potius quàm *Regum* legendum contendebant. Nec prætereundus hoc

Lib. 12.

In Syriacis.

Lib. 49.

hoc loco Hannibalianus frater Delmatij, qui Rex Ponticarùm gentium à Conſtantino conſtitutus, *REX REGVM* in Excerptis Conſtantini vocatur. Quæ tamen appellatio Indorum illum Regem magis videtur decuiſſe, qui auctore Strabone ad Auguſtum in Syriam profectus, ſexcentorum Regum Dominum vocare ſeſe non dubitabat. *Lib.XV.*

PHILELLENIS etiam titulum vſurpaſſe videmus *ARSACIDAS*, quod iterum aliunde, quàm ex indubia Nummorum illorum fide vix conſtare exiſtimem. Mira verò in Darij, Xerxis, aliorumque id genus Hæredibus appellatio, qui Græcorum magis odio, quàm amicitia clari alias extitere. Factum autem id mihi videtur ab Arſacidis, ad demerendos ſibi Græcos Aſiaticos, Meſopotamiæ, Syriæ, & reliquos illius tractus Parthis viciniores, qni Græcorum coloniis & lingua paſſim florebant. Vnde apud Dionem obſervo Nicephorios, Macedonum in Meſopotamia colonos, Romanis vt ΦΙΛΕΛΛΗΣΙ ſeſe libenter tradidiſſe. καὶ ἐς τοὺς Ῥωμαίους ὡς καὶ φιλέλληνας πολλὰ ἐλπίζοντες. Eodem enim cum Parthis inſtituto, majores veſtros illam quoque appellationem ambiviſſe, & hic locus ſatis arguit, & bella pro Græcis Aſiaticis contra Antiochum ſuſcepta, aliaque benevolentiæ illorum in Græcos argumenta ambitiosè

De cognomine PHILELLENIS.

Lib.XI.

etiam

Digitized by Google

etiam non ſemel conteſtata, abundè docent. Ita Caſſius Cæſaris interfector ΦΙΛΕΛΛΗΝΑΝΗΡ ab Archelao Rhodio dictus, apud Appianum legitur. Aliàs verò Regibus familiare idem nomen evaſiſſe, vel vnus Strabo videtur comprobare, qui in genere Regum ΦΙΛΕΛΛΗΝΩΝ mentionem alicubi injecit. Vnde alias Cicero eiuſdem laudis æmulus; *PHILELLENA* ſeſe in Epiſtolis vocare non dubitavit. Nec eo tamen ſenſu dictus apud Plutarchum M. Antonius ΦΙΛΑΘΗΝΑΙΟΣ, quippe non tam caritate erga Athenienſes, quàm ob deſponſatam ſibi ab ijſdem Minervam. Huc accedit *PHILOROMAEI* nomenclatio, quæ non tam ſponte ſumpta, quàm à Senatu olim amicis & ſociis Regibus benevolentiæ ergo tributa. Hinc eadem occurrit àdhuc hodie in nummis *ARIOBARZANIS* Cappadociæ Regis, vt in aureo ac rariſſimo nummo Marchionis Nicollini Florentiæ obſervaſſe memini, cum inſcriptione ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΟΒΑΡΣΑΝΟΥ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. Ad has enim præclari Muſei lautitias aditum mihi tua opera patuiſſe, etiamnum opinor recordaris. Ille verò Nummus, cum gemino, quem edidit Vrſinus, mirificè illuſtrat Tullij in Epiſtolis locum, *vt ego Regem Ariobarzanem Euſebem ei PHILOROMAEVM tuerer*, & infra de eodem;

Bell.Ciuil. lib. 4.

Lib. XIV.

Epiſt. p. 85.

De cognomine PHILOROMAEI.

Lib. XV. Epiſt. 2.

dem; *caſu incredibili & pene diuino, Regem, quem vos honorificentiſſimè appellaſtis, nullo poſtulante, &c.* Vides vtique PHILOROMAEVM vt honorificæ appellationis vocabulum, cùm Ariobarzani tributum, teſte Tullio, tum ab eodem inter dignitatis inſignia, & nomina Regia, vice cognominis receptum. Magni enim illud conſtitiſſe barbaris Regibus *Lib. 39.* liquet ex Dione, qui vnum è Ptolomæis immani pretio hunc *AMICI ROMANORVM* titulum refert à Romanis redemiſſe. *ARSACIDIS* quin etiam eandem, ſed ſimulatam amicitiæ Romanorum curam, tribuit Memnon apud Photium, ſicut de eadem inter Lucullum & Parthos contracta Dio alicubi meminit. Coniunxit verò vtrumque Græcorum & Romanorum amici titulum Strabo, qui Rhodios ſcribit amicos fuiſſe Regum ΦΙΛΕΛΛΗΝΩΝ ΚΑΙ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΩΝ. *Lib. XIV.* καὶ Ρωμαίοις ἐγένετο φίλη καὶ τῶν Βασιλέων τοῖς ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΙΣ τε καὶ ΦΙΛΕΛΛΗΣΙΝ. Elegans autem de vtraque hac appellatione & geminis aliis, apud Themiſthium locus; *Orat. X. de pace.* Κῦρον φιλοπέρσην καλῶ, ἀλλ' οὐ φιλάνθρωπον, φιλομακεδόνα δὲ Ἀλέξανδρον, ἀλλ' οὐ ΦΙΛΕΛΛΗΝΑ, τὸν δὲ Σεβαστὸν ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΝ. *Cyrum voco amicum Perſarum non autem generis humani, Alexandrum verò AMICVM Macedonum non autem GRAECORVM, Auguſtum autem AMI-*

CVM

CVM ROMANORVM. NI potius dicendi ijdem fuerint, ΦΙΛΟΠΟΛΕΜΟΙ ΚΑΙ ΦΙΛΑΡΧΟΥΝΤΕΣ quibus appellationibus Pompeium alicubi Dio proſequitur. Nec à tota gente, vt florente Republica, ſed à Cæſaribus etiam ſub eorum imperio, petita nonnunquam ab amicis, aut obnoxiis Regibus appellatio. Vnde huc referri debet Herodis nummus, quem ex Goltzij indice vt colligo, præfert in Euſebianis Scaliger, ΗΡΩΔΗΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ. Quo facto ſcilicet Herodes Agrippa, ſtudium ſuum & fidem erga Claudium Benefactorem voluit publicis & duraturis monumentis conſignari. Fides verò huius Nummi ſit penes Antiquarios, qui talem alias nec viſum nec auditum mihi ingenuè fateor, nec ea de cauſa ſpuriis continuò eundem annumero. At non abſimili ratione, Parthos ΦΙΛΑΡΣΑΚΟΥΣ vocat alicubi Strabo, ob amorem illum ſcilicet vel cultum, quo Reges ſuos, vt *ARSACIS* traduces proſequebantur.

Lib. 36. *Lib. 16.*

De appellatione ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ

Sed minus fortè obvia in monumentis veterum, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ coniuncta appellatio, vt in Euſebianis agnoſcit Scaliger. Vtramque tamen ſuppeditant duo Nummi Barbarorum Regum, ne poſtremam hanc Romanorum vel Ducibus, vel Cæſaribus propriam ſtatuamus. Prior eſt

TRY-

TRYPHONIS DIODOTI, qui ſe in Seleucidarum ſeriem & regnum intruſit, cuius effigiem penes me habeo beneficio Cl. Gottifredi noſtri, quæ caput imberbe præfert diademate revinctum, & in auerſa parte Galeàm cum ſtella & inſcriptione, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΡΥΦΩΝΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. Adeò vt vel hinc intelligamus, hunc modò è famulo Dominum, Regis nomenclatione, quam eidem Auctores tribuunt, non contentum, alteram *IMPERATORIS* addidiſſe, quæ ſupremis Exercituum apud Romanos Rectoribus ea ætate familiaris, nondum ſupremi faſtigij vocabulum apud eoſdem evaſerat. Eandem verò inſcriptionem præfert alter Nummus Tigranis apud Goltzium, ΤΙΓΡΑΝΟΥΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Alium quidem præclarum Tigranis Nummum, in Cimeliis Magni Ducis inſpexi, cum ſola inſcriptione ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΙΓΡΑΝΟΥ.

Mitto iam alia ſexcenta, quæ ad illuſtrationem *HISTORIAE* veteris Græcorum aut Barbarorum, Nummi nobis etiamnum ob oculos ponunt. *ASANDRVM* Boſphoro à Pharnace Mithridatis filio præfectum memorant Hiſtorici, à quo poſtea idem Pharnaces expulſus & acie cęſus traditur. Ad quem Aſandrum refero aureum Nummum rariſ- *Dio lib.42. Appian. in Mithridat.*

 ſimum

ſimum viri ampliſſimæ dignitatis, ſed maioris adhuc elegantiæ, Camilli Maximi; qui hic vultum illius exhibet, cum apluſtro à tergo, ab altera autem parte Victoriam proræ inſiſtentem, cum inſcriptione ΑΣΑΝΔΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Ex quo ſtatim colligas oræ & Victoriæ maritimæ compotem, adſumpto quin etiam regio nomine, in ſeriem proinde Ponti aut Boſphori Regum inſerendum. Vnde corrigendus apud Strabonem locus, vbi Reguli hujus minus noti vicem Lyſander hactenus perperam occupat, errore ab affinitate nominis deducto. Refert enim præclarus auctor, Mithridatem Pergamenum everſum;
Lib. XIII. ὑπὸ Λυσάνδρου τοῦ καὶ Φαρνάκην ἀνελόντος. Aſander enim de quo hic ſermo non Lyſander (cui nullus hic locus) auctor illius facinoris, vt iam vidit Caſaubonus, & Dio ac Appianus tradunt. At vice verſa expungendus Aſander apud Photium, qui pro Caſſandro aliquoties ibi obtruſus legitur, ſub nomine modò Ἀσάνδρου, modò Ἀσσάνδρου, cui inter Alexandri
Pag. 424. & alibi. ſucceſſores Cariam contigiſſe, eundemque cum Eumene pugnaſſe, auctor Dexippus. Hæc enim omnia ad Caſſandrum referenda ex Diodoro, Iuſtino, aliiſque notius, quàm vt probare aggrediar. Vnum præterea hic nec tralatitium obſeruo, *ASANDRI* nomen familiare dein Boſphori Regulis aut Dynaſtis poſteriori

ſteriori

ſteriori etiam æuo extitiſſe : Alterius certè Aſandri Boſphoritarum Regis, & eiuſdem Filij hiſtoriam ; narrat Auguſtus ſcriptor, Conſtantinus Porphyrogenneta. Ita ABGARI, cuius meminêre Annales Eccleſiaſtici, familiare Edeſſæ Regulis nomen, haud aliter ac Ptolomęis, & Seleucis vel Antiochis, in vicina Syria & Aegypto, non aliunde quàm ex Nummis diſcimus; vt Cl. Viris Triſtano & Valeſio iam obſeruatum, & obiter ſupra monuimus. Vnde corrigendum patet Lampridij locum, in vita Seueri, vbi *Perſarum Regem Abgarum ſubegiſſe* dicitur, pro *Edeſſæ Regem*; qui locus haud immeritò ſuſpectus Caſaubono, alibi tamen vt probus ab eodem adſeritur, qui de nomine Abgari agens, *ſed & Perſidis Regem quendam Abgarum nuncupari Spartiano in Seuero.* At omnino vox ibi *Perſarum* expungenda pro *Edeſſa* aut *Edeſſenorum*, quorum Regulis proprium Abgari nomen, non Perſis. Præterea obſcura tum erat Perſarum mentio, quum Parthorum floreret imperium, quibus erant obnoxij, & à quibus deuictis *PARTHICI* cognomen retulit Seuerus. Perſæ verò ſub altero demum Seuero Alexandro, regium rurſus ſibi faſtigium vindicarunt. Accedit annexa mentio eodem loco deuictæ Arabiæ, cuius portio quaſi quædam erat Edeſſenorum regnum, quæ omnia

De Admin. Imper. c. 53.

Ad M. Aurel. Capitol. p. 52.

miror eruditiſſimis interpretibus ad hunc locum non animaduerſa, & quorum certè maiorem lucem acceptam ferimus nummis, Abgarum ſub eodẽ Seuero referentibus; Nec minus Occo arguendus, cui *Abgarus* in Gordiani pij nummo obuius, pro Parthorum Rege traditur, quo tempore rurſus mutatis vicibus, Parthia Perſarum imperio acceſſerat.

Sed magis adhuc his Aſandris, & Abgaris, nobilitatum in Aſia Pergamenorum Regum imperium. Fundamentum illius iecit *PHILETAERVS* Eunuchus, & cuſtos Regiæ gazæ à Lyſimacho conſtitutus; ita tamen vt inſigni & nomine regio, eundem abſtinuiſ-

Lib.13. ſe doceat Strabo. Hoc ipſum verò egregiè

In Theſau. Magni Ducis. confirmant *PHILETAERI* eiuſdem Nummi, mihi non ſemel inſpecti, cum coronâ laureâ, vice diadematis, & nudâ inſcriptione ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ; qualem etiam e penu Farneſianâ, in imaginibus ſuis adtulit Vrſinus. Strabonem tamen arguere videtur, alter eiuſdem Philetæri nummus cum inſcriptione ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ à Goltzio in

Canon. Iſag. lib.3. Theſauro deſcriptus, & qualem ſe vidiſſe aliquando, teſtatur Scaliger. Vt verò non in animum induxi, oculatis teſtibus temerè fidem detrahere, ſic adſerentes egregiè Strabonis locum Nummos etiamnum in Cimelijs Principum, & Antiquariorum obuios, præ-

terire

terire hic non debui. Quibus etiam accedit Appianus, qui *PHILETÆRVM* Pergami Dynaſtam, omiſſo Regis nomine commemorat, πρόγαμον, inquit, δυναστεύσας. Ita alium etiam *ATTALVM* Pergamenum Nummi veteres exhibent, & cum ſola quidem inſcriptione ΑΤΤΑΛΟΥ ΒΙΑΝΟΡΟΣ; vbi & Regis præterita nomenclatio, & *Bianoris* cognomentum eidem tribuitur. Scilicet hìc locum habet, quod tradit alicubi Pauſanias, Attali & Ptolomęi res geſtas, partim vetuſtate temporis, partim incuria ſcriptorum eorundem temporum, magna ex parte abolitas.

In Syriacis.

In Theſau. Regin.

In Atticis.

Tempùs verò; non argumentum me deficeret, OCTAVI eruditiſſime, ſi monumenta victoriarum, aut egregiorum facinorum in Græcorum Nummis conſecrata, vellem vlterius perſequi. Modò Tropæa obuerſarentur Philippi Macedonis, de Illyricis excitata; modò idem laureatus contra Phocenſes ſacrilegos expeditionem ſuſcipiens; modò haud degener filius amore Aſiæ accenſus, aut Bucephalum domans; modò Demetrius vt vera Neptuni ſoboles, proræ nauis inſiſtens; modò Pyrrhus ſub Martis effigie conſpicuus; modò illis antiquior Hercules, aut monſtra conficiens, aut pomis Heſperidum diues, viamq; ſibi immortalibus factis ad immorta-

lium

lium ſedem ſternens. Accederent nonnunquam ignota ferme Principum, vt ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΦΙΛΙΣΤΙΔΟΣ nomina & vultus; antiquiſſimi Heroes, & primi Vrbium conditores; earũdem immunitates & priuilegia; erecta in ijs opera; ſolennes earum ludi & publici conuentus, de quibus alius dicendi occurret locus. Mitto inſignia ſupremi faſtigij, DIADEMA in Alexandri iuxta & Succeſſorum nummis obuium, de cuius origine conſulendus eſt Diodorus; & vnde patet cur *Diadema Macedonicum*, Herodiano ſub initium fermè operis vocetur. *TIARAM* prætereo in Tigrane obliquam, in *A*rſacidarum autem nummis rectam; qualem his demum propriam & aliis inconceſſam, apud duos grauiſſimos auctores obſeruo, *I*oſephum, & aurei oris Dionem, Syneſio hac in parte cautiores, qui in genere Tiaram, ſolis *P*arthorum Regibus vſurpatam tradit. Sed hæc opinor ſufficient, ad ſanandam eorum cœcitatem, qui in Græcorum Nummis, nullam aut exiguam lucem ad Hiſtoriam prioris æui illuſtrandam vident.

Antiq. lib. 20. c. 2.
Orat. 114. De Regno.

CIRCA HISTOR. ROMA. ANTE CAESARES.

In ROMANA verò HISTORIA, quam facem hic Nummi præferant, minus obſcurum fortè aut reconditum. Qui enim hactenus Numiſmata veterum illuſtrare ſunt aggreſſi, hunc potiſſimum induſtriæ ſuę campum delegerunt. *LIBERAE* quidem *REIP*

hoc

hoc eſt heroica vrbis tempora, multa caligine inuoluta haud ignoras, dum illius ſcriptores vel mutilos terimus, vel perditos deſideramus. Occurrit verò huic incommodo ſuperiori ſeculo, aureum illud *FAMILIARVM ROMANARVM* opus, à Fuluio Vrſino, ex priſcis Numiſmatibus neſcio an laudabilius ſuſceptum, an abſolutum felicius. Quæ enim intacta reliquit poſteris, aut minus alias adſequutus eſt, (qualium forte ſeges non contemnenda) nullam tamen eidem conſummati operis gloriam detrahunt. Commodè verò, dum hæc ſcribebamus, vt noſti, adlatum idem in vrbem poſt longas moras, à Carolo Patino, priſcæ huius memoriæ intelligentiſſimo, feliciter auctum & recognitum. Quo nomine, quantùm diligentiæ illius & induſtriæ, ac eorum, qui ſymbola hic ſua contulere, Briennæ Comiti, Seguino, Brunotio non antiquaria ſolùm, ſed vniuerſa res litteraria debeat, lubenter hic profiteor; qui ab obuia comitate viri ſingularis exempli, Franciſci Gottifredi; breuem huius voluptatis vſum continuò impetraui. Nec feſellit certè expectatio. Talem enim iam ante noueram, vel ſolam Fuluianam collectionem, in qua non tam liceret agnoſcere priſca Romanorum ſtemmata, quàm ipſam cernere veteris Reip. imaginem, & inde ſimul multiplicem vſum

ad

ad Hiſtoriam illorum temporum mutuari.

Ob Notitiam Familiarum Romanarum. Primum ſtatim arguit ampla illa GENTIVM, vel FAMILIARVM ſeries, quæ Nobilitatem omnem principis gentium populi, vno quaſi obtutu inſpiciendam præbet. Adeo quidem vt funeri te non vnius Conſularis, ſed totius Reip. credas intereſſe, in quod ex priſci moris veſtigiis, Imagines tot clariſſimarum Gentium inferri longo ordine videas. Nobilius certè funus fatearis, quàm illuſtris illius matronæ, cuius meminit Taci-

Annal. lib. 3. tus: *In funere* inquit *Iuniæ ſororis, Bruti, Caſſii vxoris, viginti Clariſſimarum Familiarum imagines antelatæ ſunt, Manlii, Quinctii, aliaq; eiuſdem nobilitatis nomina.* Eędem quippe hic tibi occurrent *IVNIORVM, CASSIORVM, MANLIORVM, QVINCTIORVM*, tum longè adhuc plurium Gentium Imagines, quibus magnanimos Remi nepotes etiamnum poſſunt aſſurgere. Qui enim præter illas Gentes commemoratas, *AEMILIAS* inſuper, *CLAVDIAS, CORNELIAS, FABIAS, IVLIAS, SVLPICIAS, VALERIAS*, vt tot alias mittam, poſitas ante oculos cernit, fruſtra alibi, aut celebritate perſonarum, aut dignitate munerum, aut geſtorum gloria, aut caritate in Patriam, aut cunctis belli & pacis artibus, illuſtriores quæret. Flos ille vtique delibatus

Populi

Populi, Dictatorum, Conſulum, Prætorum, & Cæſarum tandem ſeminarium; qui Reges Legatis Regum, Dei autem Regibus olim videbantur. Neque ergo illorum commendationem hic inſtituo, niſi vt ex ea pretium accedat ijs monumentis, quæ in illis propagandis aut adſerendis in priſtinam lucem, hodie feliciter inſeruiunt. Peculiares quidem illuſtrium id genus Gentium Commentarios extitiſſe olim accepimus, quales *PORCIAE* Familiæ legiſſe ſeſe profitetur Gellius; *Quum inquit*, *& laudationes Funebres*, *& librum Commentariorum de Familia Porcia legeremus*. *Noct. Attic. lib. X. c. 18.* Vbi obiter obſeruo Familiam ibi, ſicut frequenter in lapidibus & ſupra apud Tacitum, pro tota Gente poſitam, haud aliter ac γένος nonnunquam Græcis; quam tamen vocis ſignificationem improbaſſe aliquando viros doctiſſimos noui. Neque verò ignoras, laudatas veteribus Varronis, Attici, Hygini, Meſſallæ, Suetonij, in hoc monumentorum genere lucubrationes, quas haud inſolitum Familiarum illuſtriorum fatum poſteris inuidit. Hanc autem vel Commentariorum, vel Genealogiarum iacturam opportunè ſupplet illa Conſularium, quos vulgò appellant, Nummorum ſupellex, quæ veteres Patritias & Plebeias, hoc eſt primæuas & incorruptas Quiritium Gentes, & præclaras earundem affinitates

T com-

complectitur . Neque enim adhuc Romanus ſanguis cum barbaro commixtus ; nondum varietas & confuſio generis inducta ; nondum duo aut plura nomina in vnum gentilitium coeuntia , omnem ſucceſſionis , vel ordinem , vel rationem turbarunt . Infuſa breui illa ſub Cæſaribus varietas & commixtio ; qua omnis interrupta gentilium propago; qua noui homines cupidè ſe intruſerunt in veterum Stirpem ; qua priſcæ Gentes *AEMILIAE* , *CORNELIAE* , *IVLIAE* , aliæque nouiſſimæ Nobilitati acceſſére ; qua commercio & affinitate cum exteris , deſciuit à prima origine ſimul & virtute Romanus ſanguis . Poſteriori verò æuo ſub Chriſtianis Imperatoribus, quaſi nempe vna Chriſti teſſera pro omni inſigni gentilitio ſufficeret , ſublatum omne Familiarum diſcrimen ; nullo certo aut ſtabili Gentis nomine , non turbata amplius ſed ſublata omnis ſucceſſio ; nec adulterata ſolùm , ſed quaſi extincta vniuerſa Romani huius ſtemmatis ſeries . Neque tamen hic ego generis controuerſiam mouere illis intendo, qui ſtirpem ſuam ad *CAESIAS* , *COCCEIAS* , *CORNELIAS* , *IVNIAS* , *MVCIAS* , *VITELLIAS* , aliaſque adhuc hodie referunt . Immo gratiam potius ab ijſdem expectant id genus monumenta , quorum beneficio generis ſui auctores , & Ἀρχηγέτας certè haud

haud pœnitendos, adſpicere illis non ſolù m datur, ſed etiam domi eorum Imagines in Atrijs, Muſeis, more veteri, diſponere, & adſeruare conceditur Commune verò rei litterariæ, non priuatorum aliquot beneficium mecum hic reputas, mi OCTAVI, veteres & recentiores Quiritium *FAMILIAS* Nummorum ope diſtinguere, (quod vtinam cauiſſet Anton. *A*uguſtinus) diſtinctas iuxta claſſes diſponere, diſpoſitas illuſtrare, vetuſtis nouitatem, nuper inuentis vetuſtatem addere. Eò minus eni m ludibrium debuerunt hactenus Romanorum Stemmatum Collectores, quò his ſubſidijs magis inſtructi, rem aliàs præclaram & ſummæ induſtriæ ſunt aggreſſi. Vnde etiam poſt Volaterranum, Sigonium, Vrſinum, Anton. Auguſtinum, Pighium, Panuinium, Schottum, & gentiles ſuos Streinium, Glandorpium, Reinuccium, Reuſnerum, haud ineruditus vel indiligens Germanus non ita pridem, nouum & luculentum opus de Familijs Romanis moliebatur, eidem affecto præmaturè immortuus. Quibus verò præſidiis potiſſimùm impulſus, manum operi admouerit, ipſe alicubi declarat; *Et quantus Numiſmatum numerus eſt, quæ nec ipſi* (Vrſino) *nec alijs tentata, ſpem certam mihi faciunt fore, vt in iſtis vtiliter laborem, & in multis cibum ſumam minimè præmanſum.* Nec prætereundus

Epiſtol. Rup. ad Thom. Reineſ. p.64.

hoc loco Antiquarius ſuperiori ſeculo haud incelebris, & qui ſummam hactenus de ſe apud eruditos expectationem concitauit. Is eſt Pyrrhus Ligorius, in quem varia ab Ant. Auguſtino, Panuinio, Vrſino, Annibale Caro, Pignorio, congeſtas, paſſim diligentiæ & induſtriæ laudes haud ignoro. Inter reliqua autem monumenta eius inedita, quæ in Bibliotheca *CHRISTINAE AVGVSTAE* tractare mihi licuit, duo ſe opera obtulerunt, vnum de *Illuſtribus viris* apud Romanos, alterum de *Familijs Romanorum*. Ita verò vtrumque ab eo contextum deprehendi, vt non continua aut diſpoſita ſerie; more Fuluiano, ſed ſingulares aliquot viros & Familias, adductis Nummorum Lapidumque ſubſidijs, illuſtrare ſit aggreſſus. Quo ſucceſſu verò id ab eo fuerit præſtitum, non meum hic eſt temerè definire. Vtinam ſaltem aut extarent hodie ea monumenta, ex quibus penum ſuam antiquariam locupletauit, aut de ſingulis eundi in conſilium, Herculei operis inſtitutum eidem permiſiſſet.

Ob Familias alias ignotas. Neque tantùm illuſtres iam ex Annalibus & Faſtis, ſed obſcuras etiam & aliunde ignotas FAMILIAS, tradunt gentilitia id genus Numiſmata. Ita *DVRMIAS*, *FABRINIAS*, *RENIAS*, *SEPVLIAS*, & nouiſſimæ collectionis *BELLIAS*, *MINCIAS*,

CIAS, *TREBANIAS*, aliaſque alibi hactenus quam in hiſce Nummorum monumentis obuias, negant docti earum interpretes; fruſtra certè in vulgatis Familiarum Romanarum Onomaſticis quæras. Vt mittam *AEBVTIAM*, *CORDIAM*, *EGNATVLEIAM*, *FARSVLEIAM*, quarum vel obiter fortè aut Cicero, aut Liuius, aut marmor aliquod, memoriam ſeruant, & quam prope interm ortuam Nummi felicius renouant. Quàm præclarũ autẽ, poſt longam tot ſeculorum noctem, excitare integrarum Gentium imagines, vitam & lucem denſa temporum caligine oppreſſis reſtituere? Neque verò lapidum tacenda alias in Familias id genus merita, quibus Sepulchra Cunarum vicem præſtant, quæ nec iacere tamen eaſdem, ſed feliciter reſurgere largiuntur. Talium certè amplam ſegetem, præter Gruterianum Theſaurum, inedita id genus monumenta adhuc recondunt, quibus harum lautitiarum cupidos licebit mihi alias demereri.

De Prænominibus, & Cognominibus Familiarum.

Enimuero præter communia GENTIVM nomina, alias etiam PRAENOMINVM, & COGNOMINVM appellationes, quibus Gentes in Familias, & Familiæ rurſus in plura capita apud Romanos diſtinctæ, eadem Nummorum Supellex præbet. Quæ eò accuratius obſeruandæ, quod aut plurima id genus aliun-

aliunde ignota, aut in deſignandis viris illuſtribus, à diligentiſſimis etiam Auctoribus paſſim præterita, dum eos vel cum ſolo gentili nomine, aut ſolo cognomine frequentius, nonnunquam etiam cum nudo prænomine efferre ſolent. Quæ diuerſitas frequenter obuia cùm apud Latinos ſcriptores, tum inter Græcos Latinoſque, vbi eorundem hominum meminêre. Accedit, quod eadem nomina apud eos mutata ſede non ſemel tranſponantur, vnde à Velleio alijſque cognomen ſæpe gentili præpoſitum videas; ex quibus frequenter naſcitur non exigua legentium vel ignorantia, vel confuſio. Quò ſpectat etiam, quod nata ingens ſequutis temporibus appellationum id genus permixtio & varietas, quæ ab vſu priorum temporum diſtingui debet, & ex eodem illuſtrari. Ita vel quale nomen Proprium fuerit apud Romanos, non hodie ſolùm, ſed iam olim fuiſſe dubitatum, liquet ex Plutarchi cum Poſidonio controuerſia. Factum id verò, dum grauiſſimi aliàs Auctores, aut non perpendunt accuratè id genus appellationum originem vel gradus; aut non diſtinguunt diuerſa Reipublicæ & Cæſarum tempora; aut propria Perſonarum, & Familiarum nomina confundunt: quæ omnia commodè poſſunt ex Nummis Familiarum Romanarum intelligi. Alia nempe illi ſuppeditant pro-

In Vita C. Marij.

pria

pria Gentium integrarum nomina, vt *AEMILIAS*, *CLAVDIAS*, *CORNELIAS*; alia rurſus propria diuerſarum Familiarum in eadem Gente, vt in Aemilia *PAVLLOS*, *LEPIDOS*, *BVCAS*, in Claudia *PVLCHROS MARCELLOS*, in Cornelia *SCIPIONES*, *SVLLAS*, *LENTVLOS*, & plures; alia rurſus propria ſingulorum eiuſdem Familię, puta Paullis, aut Lepidis, *CAIOS*, *LVCIOS*, *MARCOS*. Priora ſeu *GENTILITIA*, propria ſcilicet Genti, quibus ab altera Gente diſtincta, ſicut Claudia à Cornelia: Communia verò eadem Plutarcho dicta, reſpectu nempe Gentilium, Scipionum, Syllarum, Lentulorum, qui omnes ex eadem Gente Cornelia. Altera quæ eidem Auctori COGNOMINA, propria Familię, quibus ab altera Familia eiuſdem Gentis diſtincta, puta Scipiones, & Syllæ in Gente Cornelia. Communia verò nonnunquam aliarum Gentium Familijs, vt *BALBI*, Aciliæ Antoniæ, Corneliæ; *GRACCHI*, Antiſtiæ, Semproniæ, Iuliæ. Poſtrema vulgò *PRAENOMINA*, propria fratribus eiuſdem Familiæ, quibus inuicem diſcreti; Communia autem cùm in eadem Familia, vt Cnæus Pompeio Patri et Filio; tum alijs Familijs eiuſdem Gentis, vt Lucij Scipiones, Lucij Syllæ. Hæc autem primæua

no-

nominum diſcrimina nullibi euidentius, quàm in Nummis id genus expreſſa reperies. Eadem notauerat iam olim Appianus, qui Romanis vnum primò nomen vſitatum ſcribit, quale illud nempe fuit, quod poſtea in Prænominis vicem tranſijt, vt Romulus, Numa; mox duo, hoc eſt Gentile additum, vt Numa Pompilius Tullus Hoſtilius; tertium denique repertum, ſeu Cognomen, à geſtis, aut affectibus animi vel corporis, ad maiorem adhuc diſtinctionem, vt idem tradit, inditum; ſicut Lucius Cornelius Sylla, Cneus Pompeius Magnus. Vnde liquet, poſtremum hoc proprium maximè tum habitum fuiſſe, quum nempe ex propriis vniuſcuiuſq; aut notis corporis, aut geſtis ſumebatur, vt Cicero, Sylla, Magnus. Vnde etiam adoptati, adſumpto prænomine, nomine, & cognomine adoptantis, ſolum cognomen prioris fortunæ retinebant, vt P. Cornelius Scipio, à Q. Cæcilio, Metello adoptatus, Q. Cæcilius Metellus Scipio dicebatur, ſicut præter auctores, in Nummis Familiæ CAECILIAE deſcribitur. Quæ ſatis arguunt meo iudicio, incautius egiſſe ad Sidonium, doctiſſimum Sirmondum; qui hæc non diſtinxit, & proprium nomen Romanis ante Cæſarum tempora, non cognomen, ſed prænomen ſemper fuiſſe exiſtimat. Vtrumque enim hìc ſuas vices habuit. Illud

In Præfat.

Præ-

Prænomini additum, & poſtremò repertum, vt maximè proprium, & peculiare vniuſcuiuſque, ſicut ex Appiano modò vidimus, & ratio nominis arguebat. Vbi verò idem commune liberis & deſcendentibus euaſit, vt vel Syllæ, vel Magni, vel Ciceronis Cognomen, tum non perſonis amplius, ſed Familijs proprium manſit. Ibi autem prænomen occupauit rurſus proprium ſingulorum eiuſdem Familiæ nomen, quibus nempe frater à fratre diſtinctus, vt *Cnæus vel Sextus Pompeius Magnus*, *Marcus aut Quintus Tullius Cicero*. Vnde etiam colligitur & iure Poſidonium à Plutarcho reprehenſum, contra quàm eidem Sirmondo placuit, ſi proprium nomen Prænomini perpetuò adſcripſit, & erraſſe etiam Plutarchum, quum perpetuam hanc prærogatiuam cognomini rurſus vindicat. Aliàs enim vtrumque diuerſo reſpectu proprium manſit, alterum Familiæ, alterum Perſonæ. Nec valida eiuſdem Plutarchi contra Poſidonium ratio, quod ita mulieribus nullum foret proprium nomen, vtpote quæ prænomine apud Romanos carebant. Ad viros enim non mulieres reſpexiſſe Poſidonium veriſimile, quibus frequentius ſolum gentilitium nomen, vt Cornelia, Porcia, mox mariti Cognomen, non tam proprium, quàm proprij nominis vicem præſtabat, Cornelia Gracchi, Porcia,

Bruti, & apud Lucanum Marcia Catonis. Immo aliquando præter Gentis nomen, Cognomen etiam Familiæ ab ijs vſurpatum, quod negabat Sigonius; vt mittam LIVIAM DRVSILLAM à Patre Druſo, ac vel vna illa nobilis inſcriptio adhuc ſuperſtes *CAECILIAE METELLAE* ſatis arguit, & crebra ſequentium temporum monumenta. Neque minus ante Plutarchi ætatem aut eiuſdem æuo deerant Prænominum exempla, Caia, Lucia, Publia, aut antiquiora iuxta Varronem, Marcia, Poſtuma, & Auctore Valerio, Rutilia, Rodocilla, Burra, aliaque recentiora e lapidibus obuia. Illam enim controuerſiam de Mulierum prænominibus, maiorum minorumque gentium antiquarijs agitatam, Sigonio, Robortello, Panuinio, Caſtalioni, & nuper P. Seruio veſtrati, commodè componi poſſe crediderim, vt largiamur vetuſtis temporibus prænomina mulieribus vſurpata, quod Varro, & Valerius tradidere, paullatim in deſuetudinem abijſſe, donec poſtea ſequiori æuo frequentior eorum vſus repetitus. Neque enim aliter conciliari poſſunt tot vetuſta lapidum auctorumue teſtimonia, quibus nituntur vtriuſque ſententiæ patroni. Ita ut Plutarchus ad morem Romanis matronis magis vſitatum, & hoc loco, & in altero Quæſtionum Romanarum reſpexerit, quo

Lib. 2. de Analog.
Lib. X.

Lib. 2. Analog.
Lib. 10.

rarior

rarior prænominum vſus apud eaſdem inualuerat; quod firmant etiam egregiè Nummi eorundem & ſuperiorum temporum, in quibus Liuiæ, Agrippinæ, Antoniæ, Meſſalinæ, Domitię, aliæq; plures id genus Auguſtę ſine prænominibus traduntur, vt mittam obuia ſequentium adhuc Auguſtarum exempla. Fruſtra certè id inſtituit Seruius veſtras, vt prænomina non omnibus mulieribus promiſcuè, ſed nobilioribus tantùm vſurpata exiſtimet, quod vel vna illa inſcriptio *CAECILIAE* nobiliſſimæ Matronæ, & tot Auguſtarum Nummi ſatis refellunt. Aliàs verò quod negabat Plutarchus, proprij nominis partes impleuiſſe prænomina, id verò etiam ſub Cæſaribus haud ignotum, conſtat ex Suetonio, *P. Vitellius*, inquit, *quatuor filios cognomines ac tantum Prænominibus diſtinctos reliquit, Aulum, Quintum, Publium, & Lucium.* Hęc opinor ſatis clara, & tamen doctiſſimos viros haud ſemel turbarunt. Vſum præterea illorum Prę-nominum florente Republ. parcum arguunt eadem Numiſmata, vt vix aliud, quàm vnum ſingulis tributum videas. Neq: tamen id perpetuò in Prænominibus eorum temporum obtinuiſſe, quod Sigonio, Onufrio, alijſque vulgò perſuaſum, clarè probat Nummus in Familia Sulpicia, L. SERVIVS RVFVS, vbi *In Vitellio.*

vbi duo priora vnius viri Prænomina; poſtremum cognomen, omiſſo Gentis nomine, quod in Numiſmatibus & apud Auctores frequens, vt L. SCIPIO ASIAG. in Nummo Familiæ Corneliæ. Vnde malè ob ignotam rationem eiuſmodi duplicis prænominis, *M. Seruium* ſollicitarunt eruditi in vita Attici apud Nepotem, vt iam vidit Vrſinus. Quæ nec ignotum vſum arguunt duplicis prænominis ante ſequiora Cæſarum tempora, vt non malè cenſuit nuper vir doctiſſimus, nec frequentem tamen eundem illa ætate, ſatis videntur mihi comprobare. Sub Imperatoribus certè, & maximè circa Antoninorum tempora, familiaris vſus plurium Prænominum paſſim inductus, vt cùm ex Lapidibus, tum ex Nummis obuium, ad maiorem differentiam inter gentiles vnius familiæ & prænominis. Patrum enim nomina, non ſolùm & cognomina, ſed prænomina etiam frequentius ad filios tranſibant etiam ante Cæſarum ætatem, vt Cnæi & Marci prænomen Pompeij ac Ciceronis filijs inditum, & obuia in Nummis exempla. Quo caſu, vel cognominibus varijs nonnunquam, vel ſolà additâ Filij mentione et Patris prænomine, Filios à Patribus in monumentis id genus, citra vſum aliorum prænominum, diſtinctos olim videas; vt in Nummis Gentis Antoniæ, M. ANTONIVS

M.F.

M. F. M. N. in Claudia TI. Claudius TI. F. & ita reliquis. Quanquam & ad denotandos Maiores ſuos, eadem hæc Parentum & Auorum nomina addita non diffitear, vnde rurſus priſcarum id genus Familiarum ſeries haud parum illuſtratur. Immo in ijs etiam obſerues, eadem *P*ręnomina nonnunquam vni Familię, aut Genti quoque peculiaria, ſicut de Gente Domitia Aenobarborum obſeruat Tranquillus. *Nulla prænomina niſi Cnæi & Lucij vſurpata; modò continuantes per ternos, modo alternantes per ſingulos.* Ita in Nummis Gentis Claudiæ, crebri APPII, & in Sulpitia *SERVII*, nomine etiam integro, præter morem ſcribendi id genus prænomina, Romanis vſitatum. Factum id verò, quod ab illa frequentia horum prænominum in eadem Gente, APPII, & SERVII, gentili & cognomine omiſſo, ſæpius dicerntur, vt ex Liuio, Cicerone, alijſque haud ignotum, quod in Gentibus alijs rarius videas accidiſſe. Hinc factum etiam, vt *APPIOS* fratres, addito *MAIORIS*, & *MINORIS* diſcrimine diſtinctos tradat ad Ciceronem Pædianus; ſicut alias ijſdem Claudijs, & maxime æuo Cæſarum, proprium quaſi TIBERII prænomen obſerues in priſcis monumentis. Id verò vt hodie Italis veſtris communi ſermone, ſic Gręcis olim ſcriptoribus noſti familiare, quibus *In Nerone.*

bus TITI, MARCI, LVCII, paſſim ſolo prenomine vocantur, qui Romanis QVINCTII, AVRELII, & VERI, cum gentis nomine aut cognomine efferri ſolent. Idem alias LVCII prenomen, quod acceptum hic Genti Domitiæ, vt infauſtum in Claudia damnatum refert idem Tranquillus, ſicut auctore Cicerone, M A R C V M à patritiis Manliis exulare iuſſerunt eiuſdem Familiæ Gentiles: *Propter vnius M. Manlij ſcelus decreto gentis Manliæ neminem Patritium vocare M. Manlium licet*. Ita ut hæc prenomina ijs acceſſerint, quorum alicubi meminit Gellius; Patritiorum malè de Rep. meritorum damnata nomina, *quaſi defamata atque demortua cum ipſis viderentur*. Docebit inſuper idem Nummorum adſpectus, aliquando vnum Nomen in eadem Gente prænominis, aliquando Cognominis locum impleuiſſe. Vnde in denarijs Gentis CAECILIAE, *PAVLLVM* in Nũmo Lepidi prænomen, in M. Aemilio cognomen videas, ſicut AGRIPPAM, & TVLLVM cognominum loco in Nummis Gentis Luriæ, Mæciliæ, & Vipſaniæ, que prenomina olim fuerant in Tullo Hoſtilio & Menenio Agrippa. Immo obſerues exemplum huius mutationis in eodem viro per adoptionem contigiſſe; ita ut idem *AEMILIVS, PAVLLVS*, poſtea *PAVLLVS AEMILIVS*

In Tiberio.

1. Philip.

Lib. 9. c. 11.

LIVS LEPIDVS dictus ſit, à Paullo nempe Lepido adoptatus. Vnde minus mirum frequens id ſequentibus temporibus euaſiſſe, vt iidem Paulli, Lucii, Sexti, modò Pręnomina, modò Cognomina cenſerentur.

Hæc autem COGNOMINA prioribus duobus ad maiorem diſtinctionem addita, Pręnomini nempe & Gentilitio, ex Appiano vidimus. Id verò Nummi luculenter arguunt, in quibus diſtinctę eorum operâ plures vnius Gentis Familiæ, ſicuti in Aemilia *SCAVRI, PAVLLI, LEPIDI*, in Cornelia, *MARCELLI, SCIPIONES, SYLLAE, LENTVLI*, aliiq;in Iunia *BRVTI*, *SILANI*; qui non Perſonas ſolùm, ſed Familias etiam diuerſas eiuſdem Gentis conſtituunt. Quod verò apud Plutarchum lego, *ſub Cognominibus occultari frequenter Nomina*, iidem Nummi egregiè illuſtrant, in quibus non ſolùm AHALAE, AGRIPPAE, MARCELLI, BRVTI, METELLI, CATONES, aliique illuſtriores, omiſſo omni alio Gentis nomine frequenter occurrunt; ſed alii etiam vulgò minus notiACISCVLI, BROCCHI, NATTAE, NVRCI, & plures, in quibus ad gentiles ſuos referendis laborare ſolet antiquariorum induſtria. Vnde non mirum paſſim apud Auctores, Lentulum, Scipionem, Cæſarem, Catonem alioſque præterito priori

De Cognominum vſu, & origine ex Nummis

De Pyth. Oracul.

ri aut gentili nomine paſſim occurrere, qualia plura alicubi congerit Tullius; *Conſularium*, inquit, *puta leniorem fuiſſe Catuli, Seruilii, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellij, Volcatij, Figuli, Cottæ, Glabrionis, Silani, Murenæ*, vbi præter vnius aut alterius gentile nomen, reliqua omnia mera Cognomina. Ita etiam *MAGNI* Cognomine, gentili omiſſo Pompeium videas in Nummis aliquot deſignari. Vt mittam hoc loco ignota etiam plurium Familiarum Cognomina in iiſdem denariis non ſemel obuerſari, qualia NIGRI, in Cæcilia, PAETI in Confidia, SVRDINI in Næuia, quod poſtremum etiam Ræſianorum Familiæ tribuit vetus Lapis à P.Ligorio deſcriptus,ex quo eadem Familia parum nota in Gruteriano opere poterit illuſtrari.

Lib.12. Ep. 22.

In MS. Regia Aug.

RAESIANORVM FAM. DD.Q. RAESIVS Q.F. PAC.SVRDINVS MIL. VETER COH VII VIGIL. V.F.SIBI ET SVIS LIBERIS IDEM LIBERTIS LIBERTABVSQ SVIS . . DDXL IN HYPOGHVM TESTACI..

Reliqua mutila. Nec altera inedita illius Familiæ inſcriptio cum eodem cognomine, minus pręclara, reperta in via Appia.

DIANAE RAESIANAE
Q.RAESIVS Q.FIL·SVRDINVS
CVM

CVM RAESIA HERCVLANI OLA SACRVM.

Eadem verò Cognomina pluribus Familijs diuerſarum Gentium communia, probant aut illuſtrant ijdem Nummi, vt *BALBI*, *CAEPIONES*, *GRACCHI*, *GALLI*, *RVFI*; alia ſingulis quaſi Gentibus propria, vt Aemiliæ *LEPIDI*, Corneliæ *SCIPIONES* aut *SVLLAE*, Manliæ *TORQVATI*, Porciæ *CATONES*, Sulpitiæ *GALBAE*. Immo eadem Cognomina alterius additione nonnunquam diſtincta in Familijs eiuſdem Gentis, vt in Calpurnię Nummis PISONES & PISONES FRVGI; quæ quantum inſeruiant ad accuratam collectionem Romanorum Stemmatum, talium periti facile adſequuntur. Ita PRIMVM etiam & SECVNDVM, non prænomina ſolùm fuiſſe apud Romanos, vt contendit Sigonius, ſed etiam cognomina, vt alia mittam, docet nummus Familiæ Arriæ, *M. A R R I V S SECVNDVS*. Sic in Agnominum, nòn autem Cognominum claſſem, malè à quibuſdam Antiquarijs reijci; *AFRICANI*, *PII*, aliaſque id genus appellationes, non ex Liuio ſolùm aut Cicerone, apud quos cognomina non ſemel vocantur, ſed ex eorundem Nummis liquet; vbi cognominum locum eadem occupare videas. Illuſtris certè hanc in rem Liuij

locus, de P. Cornelio Scipione Africano; *Primus certè hic Imperator nomine victæ abs ſe gentis eſt nobilitatus, exemplo deinde huius nequidquam Victoria pares, Inſignes imaginum titulos, claraque* COGNOMINA FAMILIAE *fecere*. Nec prætereundum tamen plures nonnunquam Gentes, omiſſo omni cognomine, ſolo priori ac Gentis nomine inclaruiſſe, vt ex CARISIAE, COPONIAE, CVRIATIAE, DIDIAE, denarijs liquet, & in Gente ANTONIA familiare. Haud minus refellere videntur ijdem Nummi, a dſertam à Sigonio, & paſſim deinde ab antiquarijs receptam ſententiam, Gentium nomina apud Romanos perpetuò in *IVS* terminata. Aliter enim ſuadent *ALLIENA*, *BETILIENA*, *CAECINA*, *LABIENA*, *NORBANA*, *SATRIENA*, quæ ſeſe offerunt in ſerie Gentium Romanarum, quas ex Nummis illuſtrarunt eruditi Antiquarij. Nec me mouet, quod nonnulla ex ijs Cognominibus annumerant, quæ Gentili nomine perdito, huius vicem occuparint; quod ijs omnibus accidiſſe, haud facile quiſquam demonſtrabit; quum aliàs in ijſdem Nummis cum prænominibus & cognominibus ſuis efferantur. AGRIPPAE certè cognomini, & quibuſdam aliis id noui accidiſſe, vt Gentili Vipſaniæ omiſſo, illius locum inpoſterum impleret; vnde & ne-

nepos eius *Agrippa Poſthumus*, & neptis *Aggrippina*, tanquam Gentili nomine, in priſcis monumentis deſignatæ, quod partæ ab Auo cognominis celebritati conceſſum.

Ipſa verò Cognominum ORIGO aut appellationis ratio, non minus ex Nummis illuſtratur. Appianus eadem ab *Affectibus*, aut *Virtute* indita, Plutarchus verò, cùm ab iiſdem *Affectibus*, tum à *Natura*, *Geſtis*, aut *Corporis* partibus petita commemorant. Hæc autem ſingula appellationum genera, notis etiam ſuis aut ſymbolis quandoq; diſtincta, in Nummis videas. A *Notis Corporis*, in Gente Furia *CRASSIPEDEM*, ad quem exſtant Ciceronis Epiſtolæ, Pes ſignatus notat; in Pinaria *SCARPOS* Carpus ſeu Vola manus arguit. Quò referri poſſunt hauſti ex aliis fontibus, quos eadem Nummorum Symbola denotant. Ita in Aquillia *FLOROS*, flos impreſſus ſignat, in Lucretia *TRIONES*, ſeptem ſtellarum ſeu Trionum figura, in Poblicia *MALLEOLOS*, mallei nota, in Manlia *TORQVATOS*, Torquis depictus, in Numonia *VAALAS*, miles pro Valle pugnans, in Accoleia *LARISCOLOS*, larices expreſſi, in Pomponia *MVSAS*, Muſæ ſingulæ depictæ, non minus ac olim in Pyrrhi annulo, & inſcr. *HERCVLES MVSARVM*. Adeò vt ex iis veterem Gentilitiorum Inſignium

Origo Cognominum in Nummis.

In Præfat.

In Vita C. Marij.

vſum & originem adſequamur, & fruſtra inſenſum illuſtrium memoriæ Caligulam, de illis abolendis ſollicitum fuiſſe; *Vetera Familiarum inſignia ademit, Torquato Torquem, Cincinnato crinem, Cn. Pompeo Magni cognomen*. Alias enim à *Pedibus*, præter *CRASSIPEDEM* plures quoq; cùm alibi, tum in iiſdem Nummis denominatos videas. Talis *AGRIPPA*, quem ab ægritudine, & pedibus dictum refert Gellius, *SCAVRI*, *VARI*, *PLANTI*, *PLAVCI*; A *Capite* aut illius partibus, *CAPITONES*, *CHILONES*, *NASONES*, *PISONES*, *CAESARES*, *BARBATI*, *CRISPINI*. A *Natura* aut aliis circumſtanſtantiis corporis, *PVLCHRI*, *NIGRI*, *MACRI*, *CRASSI*, *LONGINI*, *BALBI*, & plures. Secundò a *Geſtis*, vt in Cornelia *AFRICANI*, *ASIAGENS*, ita enim poſtremum nomen legendum, non Aſiagetes, vt exiſtimabat Ant. Auguſtinus, liquet ex Sidonio, vt iam docuit Sirmondus. Idem verò *AFRICANI* cognomen etiam Fabio Maximo adhæſiſſe, docet eiuſdem Nummus in Gente Caſſia, quod aliunde non conſtat. In Atia *PARTHICVS* Labieno tributus, non à deuictis tamen Parthis more Romano, ſicut obſeruat Dio, & poſtea Aurelios, Veros, Seueros, Caros, alioſque cùm aliunde, tum ex Nummis *PARTHICOS* dictos

Sueton. in Calig.

Lib. XVI. c. 16.

In Panegyr. Auiti.

Lib. 48.

ctos accepimus, ſed ab iiſdem Parthis defenſis, ad quos ſe contulerat transfuga. In Egnatia & Fabia, *MAXIMI*, in Pompeia *MAGNI* occurrunt, qui poſtremum hoc ad eiuſdem Cnæi ſucceſſores tranſiiſſe arguunt, quod iiſdem eripuiſſe Caligulam tradit Suetonius, à Claudio verò reſtitutum Dio. In Petillia *CAPITOLINI*, vnde Horatio Petillius Capitolinus; In Manlia *TORQVATI*, aliique id genus quorum ratio obuia. In Cornelia *FELICIS* nomen Syllæ adhæſiſſe, probant eiuſdem Nummi, vt pateat verè adſertum ab Appiano, illam *FELICIS* appellationem Syllæ ab adulatoribus tributam, poſtea eidem in cognomen vertiſſe, & Statuam Equeſtrem pro Roſtris, Senatusconſulto illi cum eodem nomine erectam. *FAVSTI* verò cognomen idem illi conceſſum innuunt, & firmant eiuſdem Nummi, vt non ſit neceſſe ad Fauſtum eius filium cum Vrſino, illam appellationem referre. Vtrumque verò Cognomen frequens poſtea apud Romanos euaſit, vnde paſſim in Marmoribus *FELICES FAVSTI*, *EVTYCHES*, & maxime Mulierum *FELICITAS*, *FAVSTA*, *FORTVNATA*, *TYCHE*, vnde varia quoque earum vel diminutiua, vel compoſita, *FELICISSIMA*, *FELICVLA*, *FAVSTINA*, & *FAVSTILLA*, *EYTYCHE*; *CAL-*

Lib. 60.

Lib. 2. Satyr. 4.

Bell. Ciuil. lib. 1.

CALLITYCHE, aliaque id genus. Tertiò ab *Affectibus*, vnde *PIVS* vocatur in Nummis Scipio Metellus, & præterea S. Pompeius, & ad denotandam vim nominis, Catanenſes fratres in auerſa parte Nummi eiuſdem Pompeii ſignati, quos EVSEBES nempe ſeu Pios dictos, Strabo & Pauſanias obſeruant. *In* Antoniâ verò *PIETAS* L. Antonio cum noto Ciconiæ ſymbolo conceditur quale nempe cognomen illi à pietate in fratrem Triumuirum indultum refert Dio, vt iam vidit Vrſinus. Non *FELICIS* verò ſolùm, ſed *EPAPHRODITI* etiam ſeu Venuſti cognomen Syllæ tributum et Tropæis ſuis præfixum docuit Plutarchus, ad quod reſpexit eiuſdem Syllæ Nummus, in cuius parte anteriori Venus, in altera eadem tria tropæa ſunt expreſſa. Id verò male ab Vrſino aliò translatum occupauit non ita pridem Vir doctus, quod tamen non ex Plutarchi ſolùm loco de Fortuna Syllæ, ſed & altero eiuſdem Auctoris, in Quæſtionibus Romanis, & Appiano præterea egregiè firmatum noueram, qui poſtremus tradit repertos à ſe commentarios, qui referunt Syllam eodem Senatusconſulto *FELICEM* & *EPAPHRODITVM*, ſeu Venuſtum nuncupatum. Vtriuſque alias appellationis Epaphroditi & Venuſti frequens vſus poſtea apud Romanos ex priſcis marmori-

Lib. VI. In Phocic.

Bell. Ciuil. lib. 1.

ribus haud ignotus. Mitto iam alias à diuerſis *Affectibus* deſumptas in iiſdem Nummis appellationes, vt *BRVTI*, *FRVGI*, *BLANDI*, *BIBVLI*, *CATONIS* etiam, quem à ſolertia dictum annotauit iam olim Plutarchus. *In Catone.* Huc ſpectat NERONIS in gente Claudiâ cognomen, quo autore Tranquillo, ſignificatur lingua Sabina, fortis ac ſtrenuus. *In Claudio.* Tranſiêre autem hæc omnia Cognomina ſequutis temporibus ad poſteros ſimul & extraneos, cum longa acceſſione non vnius, ſed plurium nonnunquam cognominum; & aliunde à Diis puta, Ventis, Fluuiis, aliiſque id genus fontibus hauſtorum. Et hæc quidem præter inſtitutum prolixius, non tamen vltra argumenti cancellos, cui illuſtrando haud parum inſeruire videbantur. Cœcus enim, vt hoc addere mihi liceat, in campo Hiſtoriæ veteris incedit, qui hæc non diſtinguit, aut præterit; qui nominum, aut appellationum id genus originem, gradus, diſcrimina, ætates non obſeruat; qui tempora, & perſonas non ſemel confundit; qui inductam paullatim ſub Cæſaribus & labente imperio, eandem nominum confuſionem & varietatem, ad hunc priorum temporum canonem non reuocat. Et tamen quoties hic impegerunt oculatiſſimi alias viri, in via quippe lubrica & perplexa, ignoratione aut incuriâ eiuſmodi vel comitũ, vel ſubſidiorũ?

Ac-

Ob originem Familiarum. Accedunt non Cognominum ſolùm aut Familiarum vnius Gentis, ſed GENTIVM ipſarum ORIGO & Inſignia, quæ iidem Nummi ante oculos ponunt. Ita ut his ducibus pateant primi Natales Romanæ Nobilitatis, & ipſa diſcrimina indigenarum ac aduentitiarum in eadem Gentium. Neque enim è Sabinarum magis raptu, quàm ex aliis vicinarum Gentium ſpoliis conflatum noſti Quiritium genus. Quod pluribus adſtruit Canuleius Trib. Plebis apud Liuíum, exemplis etiam petitis à Regibus Numa, & L. Tarquinio peregrinis, ac à Gente Claudia, poſt exactos Reges e Sabinis in Ciuitatem non ſolùm, ſed patritiorum etiam numerum adſcita; *Nunquam clauſa Vrbs peregrinæ virtuti.* *Lib. IV.* Vnde factum etiam vt eædem Gentes ortus ſui memoriam, aut loci natalis appellatione, aut Deorum patrię præſidum ſimulachris, aut Conditorum ſuorum imaginibus ac notis, voluerint ad poſteros propagari. COPONIAM Gentem Tibure oriundam, Claua & pellis Herculis, Tiburtini ſcilicet Numinis, Vrſino vidétur arguere; ſicut *ANTIAM* Gentē Antio profectam, Diis Penates in eadem expreſſi. *METTIAM* verò, *PAPIAM*, *PROCILIAM*, *ROSCIAM*, Lanuuii municipio traduces, Iunonis Lanuuinæ ſimulachra euincunt. *CLAVDIAM*, *PETRONIAM*,

NIAM, & *TITVRIAM* è Sabinis profectas docent, in priori adſumptum Neronis cognomen, vt vidimus ex Tranquillo; in altera Feroniæ Sabinis cultæ ſimulachrum; in poſtremâ, cùm expreſſus Sabinarum raptus, tum ſignata T. Tatij Sabinorum Regis effigies. Sic *ACILIAM* ab ἀκέομαι ſeu ſanandi virtute, nomen ſuum adſciuiſſe, Aeſculapius in eadem impreſſus doctis antiquarijs videtur comprobare. *LEVINEIAM* ab Hercule ſtemma ſuum accerſere, depicta eiuſdem in clypeo effigies oſtentat. *IVLIAM* verò ab Aenea & Iulo deductam, non Poetarum magis vaticinia, quàm obuiæ Veneris & Aeneæ Anchiſen ferentis, in eadem imagines docent. Sicut rurſus *MAMILIAM* ab Vlyſſe profectam, Vlyſſes in eâdem pileatus & à cane agnitus tradit. Vt videamus haud inſolitum iam olim fuiſſe fatum illuſtrium Familiarum, præclaro aliquo & antiquiſſimo, vtut incerto auctore generis ſeſe efferre. Ita minima quęque vel Nominum, vel Cognominum, vel alterius cuiuſpiam caſus arrepta ſimilitudo, quæ in communionem eiuſdem originis traheretur. Sic M. Bruto idonea viſa eſt eiuſdem cognominis ratio, vt vindicem illum libertatis Iunium Brutum, tanquam generis ſui auctorem in Nummis ſignaret, à quo illum tamen genus ſuum deriuaſſe negat Dio. Excu- *Lib.44.*

ſari tamen poteſt, quum non ſolùm cognominis, ſed etiam eiuſdem gentilis nominis communio vtrique intercederet. Vnde nec mirum aut *MEMMIAM* à Romulo expreſſâ illius effigie, aut ijſdem argumentis à Numa *CALPVRNIAM*, ac *POMPONIAM*, à Tullo *HOSTILIAM*, ab Anco *MARTIAM*, originem ſuam voluiſſe in Nummis deriuare. Ita ut qui vel Regij nominis vmbram morte & ignominia mulctabant, ab eodem titulos mutuari, ſecurum non ſolùm, ſed præclarum etiam ducerent. Adeò omnia temerat ambitio, dum aut in alienis ſepulchris gloriam, aut ſimilitudinem in ignotis imaginibus quærit.

Ob Magiſtratus & Dignitates in Nummis expreſſas.

Nec prætereundi hoc loco MAGISTRATVS, aut DIGNITATES Quritium omnis ordinis in ijſdem Nummis conſignatæ, Pontifices, Augures, Flamines, VII. Viri Epulones, Conſules, Prætores, Aediles Curules, Quæſtores, ProQuęſtores, Aediles Plebis, Dictatores perpetui, Tribunitia Poteſtas, Triumviri Reip. Conſtituendæ, Triumviri & Quatuor viri Monetales, Curatores Denariorum Flandorum, Triumviri Valetudinarij, ProTriumuiri, Imperatores, Proconſules, ProPrætores, Legati ProPrætore, Præfecti Claſſi & Oræ maritimæ, Regum etiam Tutores. Vides hic dignitates Sacras;

Vrba-

Vrbanas, Ciuiles, Patritias, Plebeias, extraordinaria Imperia, Militaria, Prouinciarum, Maritima, quædam etiam ex ijs aliunde ignota. Vt etiam intelligamus, & à ſingulis quibus tribuuntur, adminiſtrata hæc munera, quod aliunde ſæpius non conſtat, & ab ijſdem liberâ Reipublicâ, petita in Nummis hęc honorum inſignia. Ita *TRIBVNITIA POTESTAS*, non vulgato ſolùm in monimentis veterum ritu, cum appellationibus alijs Cæſarum coniuncta, ſed ſola & integra, vt pręcipuum quoddam inſigne Maieſtatis, Auguſto tribuitur, in auerſis aliquot Nũmorum id genus partibus; vt in Caſſia, Gellia, Plotia, Lucretia, Sempronia, Tarquitia, alijſque. Vnde facile ex ijs ſagaciſſimus Annalium Scriptor illuſtratur, *M. Silanus*, inquit, *cenſet vt publicis & priuatis monumentis ad memoriam temporum, non Conſulum nomina præſcriberentur, ſed eorum qui TRIBVNICIAM POTESTAVEM gererent*. Liquet etiam cur alibi idem auctor, vbi meminit adſumptæ huius Tribunitiæ Poteſtatis ab Auguſto, addit; *Id ſummi*, inquit, *faſtigij vocabulum Auguſtus reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen adſumeret, & tamen appellatione aliqua cætera imperia præminere*. Vt intelligamus, non confundendam cum eruditis quibuſdam Tribuniciæ Poteſtatis, & Tribunorum plebis prærogatiuam, quorum

Annal.3.

Annal.3.

prior, vt hinc diſcimus, ab Auguſto, aut iuxta Dionem, à Iulio reperta, omnia alia imperia pręcedebat; poſtremi vtut Sacroſancti, infra Conſulum & Prætorum faſtigium cenſebantur, vt obſeruat Dio. *TRIVMVIROS* verò, ſeu Tricipitinam illam Varroni dictam, verè arguunt tria Auguſti, Antonij & Lepidi capita in ijſdem iuncta, nec ΑΡΜΟΣΤΩΝ ſolùm, ſed ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ nomine, iuxta Romanam appellationem, Græcis quoque nuncupatos. Maris imperium ab vtroque Pompeio Patre & Filio adminiſtratum, ſub diuerſis tamen titulis, docent illius Familiæ Numiſmata, in quibus parens Pompeius PROCOS. cum prora nauis; Sextus filius PRAEF. CLASS. ET ORAE MARIT. deſcribitur. Eandem Claſſis Præfecti dignitatem, M. Antonium poſitum alias in ſupremo dignitatis faſtigio, videmus etiam adoptaſſe ex eiuſdem Nummo, in quo hinc ille cum Cleopatra, illinc Triremis, & inſcr. PRAEF. CLAS. Tutelam verò iunioris Ptolomæi à Lepido Reipubl. nomine ſuſceptam, Nummi eiuſdem poſteris conſignarunt, in quibus M. LEPID. PONTIF. MAX. TVTOR. REG. dicitur. Vnde præter Valerium & Iuſtinum Vrſino allegatos, qui Tutelæ huius meminêre, Tacitus etiam illuſtratur, *exemplo quo maiores M. Lepidum Ptolomæi liberis TVTOREM*

Lib. 55.

Appian. Bell. Ciuil. 2.

Annal. 2.

REM in Aegyptum miſerant. Inter ordinaria verò imperia, tot C O N S VL E S in iiſdem Nummis ſignati, quantùm ad ſupplendos aut corrigendos veteres Reipubl. faſtos conferant, infra monebimus. PRAETORES, vt Curulem Magiſtratum, Sella Curulis arguit in Nummis Cottæ, & ad *AEDILES PLEBIS* annonę curam ſpectaſſe, ſi non aliunde modicus frumenti, Spicæ,& Cereris caput docerent; quibus Symbolis hanc dignitatis ſuæ memoriam tradidêre. MONETAE ſignandæ curam in Vrbe, modò ad Quatuorviros circa I. Cęſaris tempora; modò ad Tres Præfectos ſub Auguſto redactam, modò ad Curatores quoſdam ita dictos, incerto numero ſpectaſſe, eandemque vel Denariorum flandorum, vel Auri, Argenti Aeris flandi feriundi, vel Argento etiam publico feriundo titulis ſignatam, non aliunde luculentius, quàm ex eadem moneta diſcimus. In ea enim crebrò occurrunt, III. VIR. A. A. A. F. F. h. e. *Triumvir, Auri Argenti Aeris flandi feriundi*, vel IVVIR. A. P. F. h. e. *Quatuorvir Argento publico feriundo*. Immo quod alias ignotum, Lentulus quidam in Cornelia, CVR. X FL. *Curator Denariorum flandorum*. Ita ut eorum etiam nomina, quibus hæc cura incumbebat, adhuc hodie innoteſcant. Sic mortuo aut abſente Triumuiro monetali,

alium

alium in eius locum ſuffectum, cum titulo Pro Triumviri, liquet ex iiſdem Nummis C. *MARIVS PRO III VIR.* Ita *PRAEFECTVRAM VRBIS*, ut eximiam aliquam honoris prærogatiuam, iam olim in Nummis Famil. Liuineię, & Plautiæ videmus ſignatam. Ad priorem enim L. REGVLVS PAEF. VRB. ad poſteriorem L. PLANCVS cum eodem titulo referuntur. Nec minor lux Sacrorum Antiſtibus accedet. *PONTIFICIS* MAX. Græcam ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΜΕΓΑΛΟΥ appellationem, nummi Græci Iulii, Lepidi, Auguſti arguunt. Neque tamen ideo viro docto accedo, qui grauem duobus grauiſſimis auctoribus dicam ſcribit, Dionyſio Halicarnaſſenſi, & Dioni Cocceio, quod Pontificię huius dignitatis nomen ignorauerint, aut male expreſſerint; dum hic ſolo Ἀρχιερέως nomine eos deſignat, ille frequenter vocat ἱερονόμους, ἱεροφύλακας, ἱεροφάντας. Quis enim ferat illi Conſulari, vtriq; Romani moris & antiquitatis promicondo, craſſam illam ignorantiam aut incuriam impingi, vel in iiſdem accuſandis tam infelix acumen. Quaſi verò vel ſolum ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ nomen, ſupremam Sacerdotii dignitatem non deſignet, aut reliqui illius collegii Sacerdotes, vt Romanis Pontifices, ſit Græcis, vt ille exiſtimat, Ἀρχιερεῖς vulgò dice-

Iac. Guth. de iure Pontif. l. 1. c. 8.

dicerentur! Immo & alibi ab eodem Dione, Iulius Cæſar Αρχιερεὺς τῶν Ποντιφίκων vocatur, quo nomine ſatis opinor cum à reliquis Sacerdotibus diſtinguebat. Vnde etiam hoc nomen Αρχιερέως ſummo Aſiæ Sacerdoti & Supremo Vrbis Magiſtratui nonnunquam, præter auctores tribuunt antiqua Numiſmata. Vt mittam præter Dionem, Plutarcho & Appiano eundem Cæſarem Pont. Max. Αρχιερέα citra appellationem aliam vocari; Lepidum verò itidem Pont. Max. ſolo etiam ἱερέως nomine alibi deſignari ab eodem Appiano. Alias enim eidem Appiano, non μέγας ſed μέγιστος Αρχιερεύς, & eadem dignitas μεγάλη ἱερωσύνη non ſemel vocatur; vt Græcam huius muneris appellationem, diuerſis illis nominibus promiſcuè conſtet vſurpatam. Ita ſolo Pontificis nomine vocatur nonnunquam Latinis ſcriptoribus, quod ignorare non debuerat Pontificii iuris ſcriptor. Liuius certè auctor luculentus; *Regem Sacrificulum creant, id Sacerdotium Pontifici ſubiecere*; qui non alius quàm Pont. Max. Nec minus incommodè, aut ex vſu Linguæ Græcæ, vel ratione muneris, ἱεροφάντας, ἱερονόμους, ἱεροφύλακας, Sacrorũ nempe interpretes, præſides, cuſtodes, eoſdem vocat Halicarnaſſenſis, quibus nominibus ſupremos Sacerdotes Aegyptiorum, alioſque præcipuos ſacrorum Antiſtites, Veteres au-

Lib. 37.

Corint. lib. 11

Bell. Ciu. l. V.

Lib. 1. Bell. Ciu.

Lib. 2.

res

ctores paſſim indigitarunt. Sed de his appellationibus alibi accuratius. *AVGVRIS* dignitas non lituo ſolum frequenter deſignata, ſed ipſo nomine expreſſa in Nummis M. Antonii etiam Triumviri, vt vel inde muneris illius prærogatiuam abunde liceat æſtimare. SEPTEMVIRI verò EPVLONVM nomen, & ſymbolum muneris, haud parum illuſtratur ex nummo Caldi cuiuſdam in gente Coelia, cum inſcr. *VIIVIR. EPVL.* & Iouis ſigno in lectiſternio decumbente. Ita inter diuerſos Flaminum ordines, munus Flaminis Martialis inter inſignia Gentis Corneliæ relatum videas, cum inſcr. L. LENTVLVS FLAMEN MARTIALIS. Inter externa autem Imperia, occurrit illud *LEGATI PROPRAETORE*, in Nummis Gentis Cariſiæ cum effigie Auguſti, vbi admitti non debet adlata ab Vrſino Ant. Auguſtini explicatio. Ille enim Legatos Proprætore, dictos demum credidit, qui Legati primùm in Prouinciam cum Prætoribus miſſi, dein his diſcedentibus aut mortuis, eandem eorum loco adminiſtrabant. At ratio virum doctiſſimum hic fugit. Notum enim Auguſti æuo, Legatos Proprætore olim dictos, non Prætorum in Prouinciis adſeſſores, aut qui iiſdem ſuccedebant, ſed ſupremos Rectores miſſos ad adminiſtrandas prouincias Cæſaris, ſicut Proconſules qui

Populi

Populi prouinciæ præficiebantur. Ratio autem nominis obuia, ex vſu veteris Reip. qua Proconſule aut ProPrætore primùm dictus, qui Conſul aut Prætor deſtinatus ad regendas prouincias, vel præfecturam militarem, functus Magiſtratu, in eodem imperio continuabatur. Clarè id docet Dio, qui Proconſules & Proprætores dictos tradit in Caſtris Pompeij, Conſules & Prætores prioris anni, aliis non ſuffectis. Hinc creuit paulatim in eadem Rep. proprætoris militaris appellatio, frequens apud Liuium aliosque; quæ poſtea ab Auguſto ad Rectores militarium Prouinciarum translata, adſignato ijs etiam habitu militari, ſicut Proconſules, vt notum, qui præerant pacatis Populi Prouinciis. Neque tamen reperta primùm ſub Auguſto coniuncta Legati Proprætoris appellatio, vt Dio videtur innuere, ſed iam recepta liberâ adhuc Republicâ, de ijs, qui vice Prætorum ſub Proconſulis aut Imperatoris auſpiciis, parti exercitus præerant. Egregiè id præter lapidum auctoritatem confirmat denarius Gentis *POBLICIAE*, in cuius anteriori parte *GN. MAGNVS IMP.* in auerſa *M. POBLICI. LEG. PRO-PR.* vt intelligamus hunc Poblicium, à Pompeio tum Imperatore, ceu ſupremo exercitus præfecto, adſumptum in partẽ curæ militaris. Vnde ſub Cæſaribus ad horum etiam diſcri-

Lib. 41.

Lib. 54.

men, *LEGATI AVGVSTI* dicti *PROPRAETORES*, quaſi totidem Cæſaris in commiſſis prouincijs Adſeſſores, vt poſtremum vocabulum, curam militaris prouinciæ, prius demandatam à Cæſare iuriſdictionem argueret. Hinc præter Lapides in quibus *LEG. AVG. PR. PR.* crebrò dictos videas, in Græcis Cæſarum Nummis Legati & Proprætores Auguſti, ſeu ΠΡΕΣ.ΣΤΡΑΤΗΓΟΙ ΤΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ non ſemel nuncupantur, vt *AVG.* ibi non Legato ſed Proprætori etiam poſtponatur. Ita enim pręter aliquot inſcriptiones marmorum, præclarus Traiani nummus ineditus, ΕΠΙ ΕΙΤΕΙ ΡΟΥΦΟΥ ΠΡΕΣ. ΧΑΙ ΑΝΤΙ. ΤΟΥ CΕΒΑC. ΒΥΖΥΗΝΩΝ, ſicut in inſcriptione Dolabellæ Illyrici Legati LEG. PROPR. DIVI AVGVSTI, ET TI. CAESARIS AVGVSTI. Eoſdem verò Legatos Proprætore, ſeu Rectores Cæſaris Prouinciarum, Proconſules etiam dictos, rectè negat ad Spartianum Salmaſius, nec debuit nuper vir doctus id in dubium vertere. Coniuncta enim nonnunquam harum dignitatum nomina in lapidibus antiquis, diſtinguenda tanquam diuerſa munera variis temporibus geſta, quibus fiebat, vt qui Proconſul populi prouinciam adminiſtrauerat, vt Legatus Cæſaris eiuſdem prouincię alias pręeſſet, aut viciſſim. Factum verò

In Theſ. Mag. Ducis.

Grut. Theſ. p.396.

rò

rò ſequutis temporibus; vt ijdem Legati Augusti non Proprętore ſolùm in ijſdem, ſed Conſulares etiam digniori vocabulo, aut à geſto magiſtratu vocarentur. Hinc inducta rurſus illa *Prouinciarum* diſtinctio, vt Conſulares Cæſaris prouincię, Proconſulares verò populi, veteri nempe vocabulo, dicerentur. Clarè id exprimit Capitolinus; *Prouincias ex Proconſularibus Conſulares, aut ex Conſularibus Proconſulares, aut Prætorias pro belli neceſſitate fecit*. Qui locus, vt rectè collegit Salmaſius, nihil aliud arguit quàm permutationem Prouinciarum populi & Cæſaris factam à M. Aurelio, pro ingruentibus nempe caſibus, vt aliàs contigiſſe Dio obſeruat. At malè *Prætorias* eodem loco Cęſaris prouincias interpretatur, quæ nempe à Legatis non Conſularibus, ſed *Prętorijs* regebantur. Quę explicatio rurſus illius loci ſenſum perturbat. Prætoriæ enim ibi non Cæſaris; ſed Populi prouinciæ iuxta ac proconſulares, ex nota diſtinctione, quâ ab Auguſto, inter populi prouincias, duæ Proconſulares inſtitutæ, decem Prætoriæ. Vnde perſpicuè Capitolinus, talem ab Aurelio permutationem inductam narrat, vt ex *Proconſularibus* h. e. Populi prouinciis *Conſulares*, ſeu Cæſaris fierent, aut rurſus ex *Conſularibus* Cæſaris, *Proconſulares*, vel *Prætoriæ*, Populi nempe euaderent. Hęc ſatis perſpicua

Lib. 54.

Lib. 52. In Syriacis. & tamen perſpicaciſſimo viro tenebras offuderunt. Iidem verò Proprætores, ἑξαπελέκεις dicti Dioni, ſicut Appiano, à numero nempe faſcium, qui ante illos preferebantur. Totam autem hanc cùm Proconſulum, tum Legatorum Proprætore diuiſionem, ab Augu-

Lib. 54. ſto inſtitutam narrat Dio, ſed in cuius explicatione non ſemel errauit Interpres. Frequenter enim in tradendis id genus Magiſtratuum nominibus, lapſos videas Appiani, Dionis, aliorumque interpretes, & qui ſeſe illis manciparunt, dum diſtincta in Prouinciis Proconſulum, Proprætorum, & Procuratorum nomina non ſemel confundunt. Sed grauius adhuc ijs omnibus errat interpres Philoſtrati, qui e Romano Syrię præſide, Principem aliquem eiuſdem tractus fingit, τῆς Συρίας ἄρχον-

De Vit. Apoll. lib. 1. τα vertit alicubi, *cùm Syriæ quidam princeps*, quo tempore ſcilicet Syria Romanis obnoxia Cæſaris Legato præerat. Commune enim Ἄρχοντος & Ἡγέμονος nomen Præſidibus Prouinciarum, quocunque tandem ſeu Proconſulum, Prætorum, vel Legatorum Proprætore titulo, eas adminiſtrarent. Diſertè quidem

Lib. 54. de nomine Ἄρχοντος id obſeruat Dio, & vtrumque vel ex Græcis Cęſarum Nummis obuium, quamuis Ἡγέμονος nomen Cęſarum

Lib. XVII. Legatis Strabo videatur vindicare. Vbi enim agit de hac ipſa Prouinciarum diuiſione, & di-

diuerſis in illis Cęſaris ac Populi Magiſtratibus, Καὶ εἰς μὲν τὰς Καίσαρος, ἡγέμονας καὶ διοικητὰς πέμπει; *In Cæſaris quidem Prouincias Præſides & Procuratores mittit*. Ita omnino enim corrigi debuit in Græco textu, & verti à Latino interprete. Duo quippe vt notum pręcipui Cæſarum miniſtri in prouinciis, Legati, & *P*rocuratores, illi qui Prouinciam adminiſtrabant, hi qui pecunias Cęſaris in ijſſdem colligebant, priores Ηγέμονες, poſteriores διοικηταὶ eo loco nuncupati, vulgò ἐπίτροποι. Vnde præter alios malè eruditiſſimus Schottus apud *P*hotium ἐπιτροπεύειν h.e. Cæſaris procuratorem agere, vertit *prouinciam adminiſtrare*, alibi verò de Dione Caſſio, Αφρικῆς ἡγεμόνευσεν, *in Africa Dux fuit*, quum vertere debuiſſet *Proconſul Africam rexit*. Africa enim populi prouincia, & inter duas proconſulares Dioni & Straboni commemoratur. Vnde rurſus firmatur promiſcuus vſus huius vocis cùm apud Auctores, tum in Nummis, ἡγέμονος & ἡγεμονεύειν, de præfectura Prouinciarum *P*opuli, vel Cæſaris.

P.51.

P.106.

GESTA verò pręcipua Familiarum id genus ac Illuſtrium Conſularium, ita ijdem Nummi complectuntur, vt in illis adhuc hodie ſpectare liceat nobiliſſimorum ciuium Tropæa, Triumphos, Templorum aut Ludorum dedicationes, Fabricas, Leges latas,

Ob Geſta illuſtria.

Le-

Legionum ſeriem, Adoptionis ſymbola, aliaque præclara bello aut pace ſuſcepta, multaque ex ijs aliunde vel ignota, vel obſcura. Neque enim fidem ſingulis detrahet, quod de falſis aut emendicatis Familiarum id genus titulis, aut imaginibus, apud Liuium lego; *Nec facile eſt*, inquit, *aut rem rei, aut auctorem auctori præferre, vitiatam memoriam funebribus laudibus reor, falſiſque imaginum titulis, dum Familia quæque ad ſe famam rerum geſtarum honoremque, fallente mendacio, trahunt.* Africę certè domitores, Metellum non ſolùm ac Scipionem *AEMILIA* Gens vel *CORNELIA* oſtentant; ſed *CESTIAE*, etiam *EPPIAE*, *NORBANAE* gentilibus, ſignatum Africæ caput cum Elephantis proboſcide, eiuſdem gloriæ communionem adſerit. Ita præter ſignata in ijs *AEMILII* de Perſeo, aut *SYLLAE* de Iugurtha, ant *I. CAESARIS* de Gallis, Germaniſque nobiliſſima Tropęa, alia quoque videas haud contemnenda. *M.LEPIDI* certe XV. annorum Adoleſcentis virile facinus, arguit ſtatua eiuſdem Equeſtris cum tropæo, & prǽclata Nummi inſcriptio *M. LEPIDVS XV. A. PR. H. O. C. S.* iiſdem ferme verbis exprimit, quibus à Valer. Maximo deſcribitur, *M. Lepidus Annorum Quindecim prætextatus Hoſtem interemit, ciuem ſeruauit.* Immo nec de Iugurtha ſolùm

Lib. VIII.

Lib. III. cap. II.

tro-

tropęum, ſed idem victis poſt tergum manibus à Boccho Rege, Syllæ in Solio ſedenti traditus occurret, vt iã teſtis oculatus Plutarcho facile fidem pręſtes, non ſemel adſerenti Syllam in annulis captiui Iugurthę imaginem geſtaſſe. Nec commemoro hic, aut *M. MARCELLVM* ferentem ſpolia opima Ioui Feretrio, aut varios Aemiliorum, Metellorum, Scipionum, Iuliorum, aliorumque id genus Triumphos, qui genuinam Romæ Triumphantis imaginem nobis ante oculos ponunt. L. certè Aemilium triplici Triumpho inſignem, pręter Faſtos, clarè eiuſdem Nummus cum inſcr. *TER PAVLLVS* inſpiciendum prębet. Haud minus Templorum frequentes cernas dedicationes, vt in Gente Caſſia templum VESTAE à Q. Caſſio dedicatum, quo nomine eiuſdem Nummus à Traiano reſtitui meruit; *VENERIS ERYCINAE* in Gente Conſidia; *HONORIS* in Durmia & Mucia; *CLEMENTIAE* in Iulia, aliaque plurima; vt quando aut à quibus delubra id genus erecta ſint vel reſtaurata, non aliunde certius conſtet. Idem quoque beneficium aliis publicis Vrbis operibus præſtant, quæ in iiſdem denariis occurrunt expreſſa; vt Baſilica *AEMILIA* ab Aemilio Lepido paullo extructa; *ROSTRA* à quodam PaliKano Gentis Lolliæ; PVTEAL à

In Sylla & Reipubl. Ger. Prec.

Li-

Libone Gentis Scriboniæ, vnde Puteal Libonis Horatio, & forma eius Aræ magis, quàm Pr*ę*toris Tribunali ſimilis: *COMITIVM* inſtar nauis cuiuſdam cum adiuncto cultu Veneris *CLOACINAE* in Gente Muſſidia; *VILLA PVBLICA* in Nummo Gentis Didiæ; *PONS* denique e ſublicio à Lepido Quęſtore lapideus factus. Sic celebrem illum ductum AQVAE MARCIAE, à Philippo quodam Gentis Marciæ erectum videas; SEPTA verò cum ſuis cancellis, Ponte, Ciſta, Diribitorio, in denario cuiuſdam Cocceij Neruæ, vnde legem aliquam de ſuffragi is ab eodem latam colligebat Vrſinus. Neque enim minus Legum latarum memoriâ, quàm Geſtis aut operibus alijs nobilitata illuſtrium Familiarum inſignia deprehendas. Vnde in Caſſia occurrit Lex Tabellaria cum *A. B.* ſeu *ABSOLVENDI*, & *CONDEMNANDI* formula: In Cœliâ Lex Perduellionis, cum Tabella & *L. B.* ſeu *LIBERANDI*, ac *DAMNANDI* notis; in *P*orcia, Lex *P*rouocationis ad populum à Læca Trib. Pleb. lata, cum eiuſdem nomine *PROVOCO*. Quò referri etiam debent, & altera Tabella, in qua *SORS* inſcripta in Gente Plętoria, & Iudicium Veſtalium cum alia rurſus Tabella, in Nummo Gentis Caſſię expreſſum. Mitto varia adhuc & illuſtria ſingulorum geſta, vt Aretam Arabum

Lib. III. Ep. 1

bum Regem à M. Scauro pulſum, in cuius rei memoriam in eiuſdem Scauri denario REX ARETAS cum Camelo expreſſus. Bruti autem & ſociorum facinus, *LIBERTATIS* nomen & inſigne, Pugiones, *Pi*leum, *EID. MARTIAS* non in Bruti ſolùm aut Caſſii, aut Lentuli Spinteris, ſed *P*lætorii etiam Nummis ſignata reperies; vt hinc facile iſtum coniuratis annumeres; & quæſitam ab ijs omnibus, hanc importunæ ſocietatis vel gloriam, vel teſſeram cernas. Nonne verò in Scenam rurſus *M. ANTONIVM* prodire fatearis, ita amores, imperia, Victorias, fœdera, res mari ac terra in Europa, in Oriente contra *P*arthos, Armenos, alioſque geſtas, totam deniq; hominis hiſtrioniam tot ſuperſtites illius Nummi ponunt in conſpectu. *LEGIONES* certe in Fœdere eiuſdem Mutinenſi ad XLIII. adſcendiſſe narrat Appianus, poſt Philippenſem autem Victoriam ad XXVIII. redactas. At enim XXV. continua ſerie, & ad XXXIII. eadem interruptâ, diſtincta totidem Antonij huius Numiſmata repræſentant. Tradunt etiam ignota aliunde quarundam Legionum Nomina; qualia XIV. *ANTIQVA*, XVII. *CLASSICA*, XVIII *LIBYCA*, ſicut ex earundem Legionum numero *QVINTA* à Veſpaſiano reſtituta, *SEXTA* autem à M. Aure-

Vid. de hoc Nummo Plutarch. in Bruto, & Dion. lib. 47.

De Bell. Ciuil. l. V.

lio & L. Vero. Mitto iam hic, aut *VOTA* pro ſalute Auguſti communi omnium ordinum conſenſu ſuſcepta, & eius rei cauſa etiam expreſſa; quod *Per Eum Reſp. In Ampliori, Atque Tranquilliori Statu eſſet*. Sellam Curulem apud Romanos, cum Corona in ludis & Theatris, abſentibus etiam aut mortuis poſitam, vt eximium aliquod honoris inſigne, notarunt iam eruditi, & non ſemel auctores meminêre. Præter Liuium verò aut Dionem, ex quibus hunc morem ad Tacitum illuſtrauit Lipſius, & Caſaubonus ad Suetonium, clariſſima illius argumenta Nummi ſuppeditant. Hinc in denarijs Gentis Iuliæ, Sella Curulis ſpectatur cum corona ſuper impoſita, vt viderat ante Lipſiũ Vrſinus, & præter Dionẽ, annotauit iam olim Appianus. Origo autem illius moris profecta, cùm ex honore προεδρίας in theatris quæſito, vt obſeruarunt iam Viri docti, tum ex ſimili honore Diis exhibito, in illis ludorum ſolemnitatibus. Id clarè ſatis innuit Dio, adſerens decretam eiuſmodi Sellam Ceſari, ἐξ ἴσου τοῖς τε θεοῖς. Ludi nempe Gentilium Diis ſacri, vnde factum, vt Coronæ illis ac Sellæ in Theatris, tanquam ſupremis ludorum Præſidibus ponerentur, quę poſtea cum reliquis Deorum honoribus, defunctis & abſentibus Cęſaribus; aut Coniugibus Auguſtorum, vt Fauſtinæ apud Dionem,

Bell. Ciuil. lib. 1.

Lib. 44.

Lib. 71.

nem, aut eorum coniunctis, vt Marcello, Germanico, alijſque id genus communicatæ. Vnde factum etiam paulatim, vt non vna, ſed plures eiuſmodi Sellæ, in ſignum maioris erga defunctum reuerentiæ tribuerentur; ſicut tres Sellas aureas in theatris mortuo Pertinaci decreuiſſe Seuerum refert Dio. Aliàs quod obſeruo, nec in Theatris ſolùm, ſed in Templis eiuſmodi Sellę honos Cęſaribus nonnunquam exhibitus; vnde abſente Caio, Sellam eius in Templo poſitam Patres adoraſſe, apud eundem Dionem lego. Neque iam commemoro hoc loco, aut deductas libera adhuc vrbe Colonias, quarum in iiſdem denariis mentio, & de quibus alius occurret locus; aut Italiam & Romam in concordiæ ſignum iungentes dextras; aut Concordiam & Pietatem præclarum Adoptionis in iiſdem ſymbolum. Vereor enim, ne dum argumento hic inſeruio, diſquiſitioni forte minus reconditæ doctis Antiquariis, hîc indulgere videar.

Lib. 74.

Lib. 59.

CIRCA HISTORI. AVGVSTAM.

HISTORIAM verò AVGVSTAM ita hæc memoria priſci æui complectitur, vt non alterius fermè vſus aut contemplationis gratia, pretium illi vulgò tribuatur. Ea enim felicitas fuit monumentorum in hoc genere, vt ex ea veram imperij omnium maximi magnitudinem, æſtimare nobis hodie liceat. Adeo eam ante oculos ponit infinita Nummorum

in hoc genere ſupellex, mole, elegantia, numero ſpectabilis, vt hæc ſola, multitudine aut varietate, tractantium cupiditatem morari videatur. Hinc felix paſſim Procerum aut Antiquariorum induſtria, in colligendis iis & in quaſdam claſſes digerendis, eaque publicis & præclaris monumentis ab iiſdem non ſemel conteſtata. Neque enim huius vtilitatis præſtantiam ignorare quenquam patiuntur, aut laudabiles vel Vici, vel Stradæ, vel Hulſii conatus; aut intentior Seb. Erizzi opera; aut diffuſa Goltzii induſtria; aut diligens Occonis cura; aut luculenta Ducis Areſchotani penus nummaria; aut Fr. Angeloni haud contemnendi labores; aut præſtantior in hoc genere, & fulta maioribus litterarum præſidiis Ioannis Triſtani ſolertia. At verò longe adhuc plura, & potiora fortè, ad illuſtrationem eiuſdem Hiſtoriæ Auguſtæ, latent etiamnum recondita in Principum ac Antiquariorum Cimeliis, aliquando ex iis bono publico depromenda. Talium certè præclaram quandam ſegetem, cùm à Cl. Gottifredi expectamus, tum à præclaris in Gallia viris, quibus Regiæ huius Gazæ cuſtodia feliciter commiſſa. Hæc enim ſingula, non inani aliqua prædicatione, ſed totidem oculatis teſtibus probant, Cæſarum Seriem, Coniugia, Titulos, Dignitates, Facta quæque illuſtria domi

Digitized by Google

ac foris, nullibi luculentius, quàm in eorundem Nummis conſignata reperiri.

Continuam certè, aut minus interruptam Cæſarum & Auguſtorum SERIEM, nequidquam alibi in monumentis veterum quæras. Eam quippe ita Nummis digeſtam noſti, vt non illos ſolùm tradant, quorum diuturna aut vulgata imperia, ſed frequenter etiam, obſcuros illos & minuſculos, vel Cæſares, vel Tyrannos. Hos enim vt plurimum videas, aut breuitate vitę vel principatus; aut longinquitate locorum, in quibus tanti nominis conſortes impetu vel factione deſignati; aut tenui geſtorum fama, contrarijs ac incertis auctorum relationibus tradi. Hinc hiatus ille inter Gordiani III. & Valeriani tempora, in Hiſtoriæ Auguſtę ſcriptoribus, Euſebii Chronico, Iuliani Cæſaribus, aliiſq; priſcis & coæuis monumentis obuius, in quo ſupplendo refulget præcipua quędam Nummorum id genus opera. Ex ijs vtique *MARCIVM* quendam (non Marcum) & *SEVERVM HOSTILIANVM* Gordiani Pij ſucceſſores non Zonaras ſolùm aut Cedrenus, (quod vidit Caſaubonus) ſed Nummi etiam apud Goltzium arguunt. *MARINVM* in Pannonia electum poſt Philippos, & Iotapianum quendam, Zozimus & Zonaras tradunt. Quo auctore verò dictus ſit recentioribus

Ad Seriem Cæſarum & Auguſtorum.

bus

bus *P. CARVILIVS MARINVS*, quærit Caſaubonus: id verò e Nummis hauſtum, vt nuper annotauit vir doctus. Traiani Decij ſucceſſores duos Nummi ſuppeditant, quorum exigua aut obſcura apud Auctores mentio; *Q. HERENNIVS ETRVSCVS MESSIVS DECIVS NOB. CAES.* Alter *C. VALENS HOSTILIANVS AVG.* vel iuxta alios *C. VALENS HOSTILIANVS MESSIVS QVINCTVS NOB. C.* qui poſtremus in Nummo Auguſtæ Reginæ *HOTILIANVS* ſine S. etiam ſcribitur. Præter argenteos & æreos vtriuſque Nummos mihi non ſemel inſpectos; ęreum maximum Hoſtiliani (vulgò apud veſtrates *Medaglione*) apud Abbatem Braceſium extare intellexi, qui exquiſitæ raritatis Nummis meritò debet accenſeri. Priorem verò Q. nempe HERENNIVM ETRVSCVM à Patre Decio Cæſarem declaratum, clarè docet Victor Schotti, preter Lapides & Nummos. Cum Patre etiam eundem in acie cecidiſſe, cùm Victor vterque, tum Iornandus & Caſſiodorus tradunt, ſuppreſſo tamen illius nomine. Eundem proinde non Cæſarem ſolùm, ſed Auguſtum etiam à Patre Decio adhuc ſuperſtite renunciatum, Nummus argenteus apud Occonem arguit; quamuis fatear

Cæ-

Cæſarem tantùm vocari in Nummis eius hactenus mihi inſpectis. Fruſtra ergo Onufrius hoc Auguſti nomen, mortuo demum Decio, illi Etruſco conceſſum exiſtimat. De altero verò *VALENTE HOSTILIANO* eum defuncto Decio, Treb. oniani Galli in imperio Collegam, clarè docet Victor Schotti. *Hæc vbi Patres comperère, GALLO HOSTILIANOQVE Auguſta Imperia, VOLVSIANVM Gallo editum Cæſarem decernunt*. Ita Eutropius, prout rectè eum diſtinxit nuper vir doctus, *Mox Imperatores creati ſunt Gallus, Hoſtilianus, & Galli filius Voluſianus*. Hæc verò ex Nummis clara, in quibus hic Hoſtilianus, Cæſar non ſolùm, ſed Auguſtus etiam vocatur. Illud autem magis ambiguum, an idem Decij gener fuerit, vt poſt Onufrium exiſtimat Triſtanus, an verò filius, vt nuper adſeruit vir doctiſſimus ad Euſebium; quorum tamen neutrum ex Victore aut Eutropio licet colligere. Non diffiteor me illi ſententiæ libentius accedere, vt credam eum Seueri Hoſtiliani, paullo ante Cæſaris filium, à Decio autem adoptatum, data illi forte in matrimonium filiâ, vt ex edito vtriuſque Nummo colligit Triſtanus. Vt verò poſtremum hunc à doctis quibuſdam antiquariis controuerti haud ignoro, ſic adoptionem illam Hoſtiliani, Nummi alii, & Lapi-

des videntur comprobare, in quibus *VALENS HOSTILIANVS*, gentile illi nomen, *QVINCTVS* & *MESSIVS* Decij nomina, adoptionis eiuſdem memoriam poſteris tradidêre. Neque enim hæc poſtrema cognomina, continuò eum Decij naturalem filium probant, vt exiſtimabat vir doctus, qui ab adoptatis parentum appellationes ſumi, non debuit ignorare. Certè neque Victor, neque Eutropius, qui Decii & Hoſtiliani meminêre, hunc prioris filium tradunt; qui aliàs Decium & eiuſdem filium, Etruſcum nempe, vnâ die volunt interiiſſe. Vtrumque verò ÆTRVSCVM & HOSTILIANVM, Cęſarem, & Principem Iuuentutis dictos ſub Decio, ex amborum Nummis & Inſcriptionibus patet. Vnus fortè hic turbat Zozimus, qui filium alterum Decij patre & fratre mortuo, à Gallo adoptatum ſcribit, & ab eodem poſtea e medio ſublatum; quæ ad hunc Hoſtilianum Galli Collegam ſpectare videntur. Nec alia ſupereſt ratio, niſi vt dicamus, aut incautius loquutum Zozimum, qui generum vel adoptatum filium à naturali non diſtinxit, quod accuratioribus Zozimo ſcriptoribus haud inſolitum; aut ad alterum quempiam Decij filium nobis ignotum reſpexiſſe. Certe nec eodem fato tradit eum periiſſe, quo Hoſtilianum exſtinctum

Adam Rupert. obſ. Hiſtor.

nar-

narrat Victor, & ante Gallum, iam ſub Decio deſignatum hæredem imperij Hoſtilianum, ex reliquis Nummorum Lapidumque monumentis licet colligere, Hoſtiliano verò demum ſublato, VOLVSIANVM Auguſtum cum patre *GALLO* declaratum, videtur ex Nummis colligi, in quibus Voluſianus Cæſar primùm dictus, poſtea ſolus vel cum patre Auguſtus nominatur. Sed obſcuriora adhuc proxima *GALLIENI, & VALERIANORVM* tempora ſimul & imperia, quibus certè Nummi dilucidam quandam facem præferunt. Hîc enim aut titubantes paſſim videas Scriptores Hiſtoriæ Auguſtę, aut caliginem crebrò lectori offundentes. Id verò & agnouit, & probauit reipſa doctiſſimus Caſaubonus, dum in eadem eruendâ non vnius lapſus reliquit veſtigia. Ac primò de VALERIANO IVNIORE, an Auguſtus vel Cæſar tantùm ſit declaratus, hæc refert Trebellius Pollio; *vbi & continuò & frater eius* (h. e. Gallieni) *VALERIANVS eſt interemptus, quem multi Auguſtum, multi Cæſarem, multi neutrum fuiſſe dicunt, quod verisſimile non eſt. Siquidem capto iam Valeriano ſcriptum inuenimus in faſtis, VALERIANO IMPERATORE COS. Quis igitur alius eſſe potuit Valerianus, niſi Gallieni frater*. Huię certe Valeriano Iun. Auguſti no-

Bb men

men tribuit Nummus Græcus apud Occonem, ſed qui ad alterum SALONINVM VALERIANVM Gallieni filium referri debuerat. Id enim manifeſtè arguit eius inſcr. ΠΥ. ΛΙΚ. ΣΑΛΩΝ ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. & ſimul eum Cæſarem non ſolùm, quod tradit Victor Schotti, ſed Auguſtum etiam declaratum. Fruſtra verò additum à Trebellio, quod nullus alius potuerit eſſe Valerianus, niſi Gallieni frater. Tres enim in Nummis Valeriani P. LICINIVS VALERIANVS parens à Perſis captus; P. LICINIVS VALERIANVS filius & frater Gallieni, Onufrio & Goltzio *P. AVRELIVS LICINVS VALER: VALERIANVS*, quem circa Mediolanum ſepultum vult Trebellius; & *P. LICINIVS CORNELIVS SALONINVS VALERIANVS* Gallieni filius. *I*ta duo in iiſdem Nummis Gallieni, *P. LICINIVS GALLIENVS* Valeriani filius, alter Q.IVL. SALONINVS GALLIENVS NOB. CAES. Salonini Valeriani frater minor, & proinde Trebellio *Gallienus minor Saloninus* haud immeritò dicitur. Vnde miror virum doctum, qui nuper obſeruationes Hiſtoricas ex antiquitate lapidum, Nummorumque concinnauit, in tradendis Valerianis & Gallienis, aliquos confudiſſe, alios præteriiſſe.

Illos

Illos verò minuſculos Cæſares circa eadem tempora exortos, quos ſub xxx Tirannorum nomine Trebellius Pollio complexus eſt, pauciſſimis exceptis tradunt antiqua Numiſmata. Ita quidem, vt qui ex iis, vel Auguſti vel Cæſares declarati, aut quibus nominibus ac cognominibus diſtincti, non aliunde certius hodie nobis conſtet. Neque enim in iis ſolùm occurrunt *ODENATHI*, *MACRIANI*, *QVIETI*, *POSTHVMI*, *VICTORINI*, *TETRICI*, aliique, ſed & illi, quorum vnum Trebellium videas obiter meminiſſe, CYRIADES, INGENVS, CALPVRNIVS PISO. Hinc etiam patebit Iulio Ateriano apud eundem Trebellium, Iunium Poſtumum non male vocatum, nec id ex Nummis refelli, vt exiſtimabat Cl. Salmaſius, in quibus nempe non Pater, ſed Filius C. *IVNIVS CASSIVS POSTVMVS* vocatur. Nec video cur nuper vir doctus aliquoties nominatus, Aterianum accuſet, quod Filii prænomen Parenti malè tribuat, quum eius verba ad Poſtumum iuniorem commodè poſſint referri, nec vlla in iis ſenioris mentio; *Victorino,* inquit, *qui Galliam poſt Iunium Poſtumum rexit, neminem exiſtimo præferendum.* Vterque enim in Galliis Auguſtus, Poſtumus Parens & Filius. Ita HERENNIANVM, & TIMOLAVM, Odenathi & Zenobiæ filios,

Auguſtos declaratos ex Nummis accepimus; vt verè pateat adſertum à Pollione, horum adoleſcentum nomine imperaſſe Zenobiam. Negat tamen id Vopiſcus in Aureliano: *Hæc quoque ad rem pertinere arbitror, Balbato filij nomine Zenobia, non Timolai & Herenniani imperium tenuiſſe, quod tenuit.* Ita horum Nummorum fide & Vaballathus in eodem loco Vopiſci feliciter à Salmaſio aliiſque reſtitutus loco Balbathi, & meritò caſtigatus error Caſauboni, qui fictum hunc principem, nec in rerum naturâ extitiſſe credidit, aut planè ab hoc Vaballatho diuerſum. Nec minus alterum illi nomen *HERMIAE* feliciter iam adſertum à Triſtano, pro quo hactenus Occo, Salmaſius, aliique *ARMENIAE* vocem in huius Vaballathi nummo ſignari credidêre, & in eruenda etiam causâ laborarunt. Geminus certè cum Triſtani nummo; alter in Theſauro Magni Ducis, ΑΥΤ. ΕΡΜΙΑC ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟC ΑΘΗΝΟΥ L. Δ. in auerſa parte Nummi Aureliani, cum capite laureato & diademate. Vt pateat Occoni, Goltzio, aliiſque temerè fidem non eſſe mancipandam, vbi Græcos nummos attigêre, quod ſexcentis exemplis probare hic poſſem. Illud verò magis ambiguum, cur Triſtano placuerit, eum Herodiani filium & Odenathi nepotem, ex ingenio ſtatuêre, quem Zenobiæ tribuit Vopiſcus,

ſecus,aut cur ΑΘΗΝΟΥ ibi in Nummo quaſi *Athenis filius* ad eundem Herodianum referat; quam tamen appellationem nec Herodiani ipſius nummi arguunt, nec aliunde licet eruere. Vtinam minus nonnunquam ingenio & coniecturis ſuis indulſiſſet in nummorum id genus explicatione vir alias de illis optimè meritus, maximè vbi ſine duce à Veterum auctoritate diſcedit. Neque leuius errat Onufrius, qui eundem hunc *Vbabalatum* vocat, aut quum eundem tanquam tertium Zenobiæ filium cum Herenniano & Timolao, Pollioni deſignari ſcribit. Altum enim de hoc Vaballatho apud Pollionem ſilentium. Id verò minus mirum ijs videbitur, qui ſciunt, quid & quantum Onufrij diligentiæ tribui in talibus debeat. Haud ignotus verò Tyrannus iiſdem temporibus *DOMITIVS DOMITIANVS*, qui à Domitiano Imperatore & Domitilla genus ſuum deriuabat, & cuius rariſſimus nummus olim fuit penes Cl. Gottifredi, cum titulo Auguſti, & effigie ac inſcriptione *GENII POPVLI ROMANI*. *FIRMIVM* etiam & *FIRMVM* diuerſos tradunt ijdem Nummi rariores, alterum Zenobiæ ſocium, & Auguſtum dictum in Nummo Græco apud Goltzium, hunc Tyrannum in Africa ſub Valentiniano Imperatore, cum inſcriptione D. N.

FIR-

FIRMVS P. F. AVG.. Vnde haud malè iam collegerunt eruditi, & priorem malè Vopiſco *Firmum* vocari, & poſteriorem de hoc Firmo Valentiniani temporibus exorto, omnino eſſe intelligendum, quamuis aliter doctiſſimo viro placuiſſe nouerim. Mitto Diocletiani & Collegarum tēpore exortos,eoſq; Auguſtos in Nummis ſignatos, *AELIANOS* duos, *AMANDVM*, duos *IVLIANOS*, *ACHILLEVM*, *ALLECTVM*, *CARAVSIVM* quoque, cuius poſtremi Nummus cùm in Theſauro Magni Ducis recōditus tū nouiſſimè antiquarię Gazę Eminentiſſimi Barberini acceſſit. Eiuſdem etiam rariſſimum nummum, nec alias quod ſciam hactenus viſum, adſeruat Cimelium Sereniſſimi Electoris Palatini, in quo Carauſius cap. radiato, *IMP. C. CARAVSIVS* P. in auerſa parte,figuræ duæ cum Sceptro in vnam coaleſcentes, vna ſurſum altera deorſum, & litteris exeſis, ab vna parte *VICTOR.*. Qui nummus egregiè alium quendam Nummum illuſtrat, Viri Ill. Camilli Maximi, in quo Criſpina Commodi, & in auerſa parte duæ figuræ eodem modo medio corpore depictæ, vna ſurſum altera deorſum, cum inſcr. repetita *TITIA TITIA*.Vt facilè pateat replicatam in Nummis id genus figuram aut inſcriptionem, monetarii errori adſcribendam. Alij verò

rò Tyranni, priores ſequuti haud longo interuallo viris doctis etiam e Nummis deſcripti, *ALEXANDER, C. IVLIVS VALENS M. MARTINIANVS*, aut ætate Conſtantini, duo fratres eidem coniuncti *DELMATIVS, & HANNIBALLIANVS*, prior cum dignitate Cæſaris, poſterior cum Regis titulo iam olim à Cl. Valeſio ad Ammianum vulgatus. *NEPOTIANVM* & *VETERANIONEM* Auguſtos circa eadem tempora declaratos Nummi eorundem arguunt, quales exſtant in Magni Ducis Theſauro, cum ſolitis illo æuo ſymbolis *GLORIAE ROMANORVM VIRTVTIS EXERCITVVM*. Sic *PETRONIVS MAXIMVS* & *PRISCVS ATTALVS* in Gaza Farneſiana mihi inſpecti, quorum ille Placidio Valentiano cęſo imperium arripuit, de quo præter Hiſtoricos adeundus Sidonius in Epiſtolis & Panegyrico Auiti. *LEONEM & ANTHEMIVM* concordes in imperio Collegas laudat idem Sidonius, & illuſtrauit ex nummo aureo doctiſsimus Sirmondus.

Ad ſeriem & Hiſtoriam AVGVSTARVM.

AVGVSTARVM verò ſeriem luculentam ijſdem Nummis acceptam ferimus, & earum quidem, quarum tenuis, aut nulla etiam mentio, in priſcis veterum monumentis. In illis certè videas Cęſarum Vxores, Matres, Auias,

Digitized by Google

Auias, Sorores, Filias, Neptes; neque ſolùm Imagines, ſed earundem nomina, dignitates, & ſupremi faſtigii vel inſignia, vel appellationes. Neque mirum honorem illum habitum Cæſarum adfinibus vel coniunctis, quum & Vxoribus Conſularium, Maritorum ornamenta legamus nonnunquam conceſſa. Eximius hanc in rē, & vnicus Lampridii locus *Si vmquam aliqua Matrona Conſularis Coniugii ornamentis eſſet decorata*. Nec facile quiſquam mirabitur eá ætate, quâ libertis aliiſque ſortis vilioris, prætoria aut conſularia ornamenta frequenter decreta, iiſdem quoque nobiliores Matronas inſignitas. Vnde minus adhuc inſolitum videbitur, in illuſtriores adhuc Fœminas congeſtos ſub Cæſaribus honores Auguſtorum, & eoſdem cum earum vultu in Nummis ſignatos; puta Sacerdotium, Carpenta, Thenſas, Conſecrationes, Dearum Epitheta, Matris, aut *ORBIS GENITRICIS MATRIS CASTRORVM*, aut *SENATVS* appellationes, *AVGVSTAE* denique cognomen. Quæ eò magis obſeruanda ex more illorum temporũ, quibus illa vel cognomina, vel ornamenta non continuò tributa Mulieribus, quæ admiſſæ videbantur in conſortium principalis faſtigii. Neque enim Auguſtæ vel omnes, vel ſolæ Auguſtorum Coniuges, aut Matres; ſed quæ Cæſarum arbitrio

In Elagabalo.

trio

trio & caritate, ac decreto Senatus hac appellatione ornabantur. Adeo vt aliquot ex iiſdem legamus, illis ornamentis caruiſſe, dum de moderandis potius, quàm ampliandis illarum honoribus Tiberium, Pertinacem, Claudium etiam, vxorum licet mancipium, ſollicitos accepimus. Vnde hoc diſcrimen hodie non aliunde certius aut vberius, quàm in Nummorum monumentis legas, quibus pars illa HISTORIAE AVGVSTAE, vnicè quaſi & luculenter poteſt illuſtrari.

Neque refero tamen in hunc cenſum, omnes illas vel Auguſtas, vel coniunctas priorum Cæſarum, *MARTIAS*, *AVRELIAS*, *COSSVTIAS*; *SCRIBONIAS*, *LEPIDAS*, *ARRICIDIAS*, aliaſque id genus ab Aeneâ Vico in ſerie Auguſtarum XII Cæſarum depictas. Has quippe à prioribus curis Andreæ Fuluij, aliorumque acceptas, fatetur ipſe ſeſe necdum in Nummis reperiſſe. Neque enim, aut I. Cæſaris nondum firmata dominatio, aut Tiberij cum vxoribus ante principatum diuortia, aut Caij in Sorores amor, aut Galbæ, Othonis, Vitellij breue imperium, paſſa ſunt Vxorum vultus nummis conſignari. Immo ne *LIVIAM* quidem, niſi ab exceſſu Auguſti in Romanis nummis depictam reperies; qui illam mortuo coniuge, *in Familiam IVLIAE, nomenque AVGVSTAE ad-* *Tacit. Annal. 1.*

ſumptam, ſub eiuſdem *IVLIAE AVGVSTAE* nomine hodie repræſentant. Quod nomen Viris doctis nonnunquam impoſuit minus exercitatis in vſu nummariç huius ſupellectilis, qui Iuliam Auguſti filiam iiſdem deſignari credidêre. Vtramque verò appellationem Liuiæ Auguſti teſtamento tributam, & auctor eo loco Tacitus, & ex Tranquillo ac Dione abundè licet colligere; vt ad priora tempora vultus illius cum his nominibus ſignatus referri non poſſit. Quod miror non obſeruaſſe Cl. Triſtanum, qui Græcum nummum Auguſti & Iuliæ, cum ΘΕΙΟΥ & ΘΕΙΑΣ ſeu DIVI & DIVAE nominibus, viuo Auguſto percuſſum exiſtimauit; quod tum illud Diuæ, tum Iuliæ nomen omnino refellit. Nec aliàs minus incautè adſertum ab eruditiſſimo Caſaubono ad Suetonium; *de Liuia certum & poſt mariti exceſſum non Liuiam, ſed Iuliam fuiſſe vocatam*. Vtrumque enim geſtaſſe patet ex priſcis monumentis, in quibus aut *LIVIAE AVGVSTAE* ornatrices, vel ſeruæ à cura catellæ, ab argento, à potione deſcribuntur; aut coniuncta etiam *IVLIAE LIVIAE AVG.* appellatio illi tribuitur. Vnum etiam Nummum à ſe inſpectum refert Vicus, in quo *DIVA LIVIA DIVA AVGVST.* ſed quem demum circa Alexandri Seueri & Gordiani tempora ſignatum

Lib. 56.

tum credit. Vnde ſine vllo temporum diſcrimine, modo *LIVIA* vocatur, cùm Latinis Scriptoribus frequentius, tum Dioni, modo *IVLIA*, vt Ioſepho, aliiſque. Reſtitutos verò à Tito aliquot eiuſdem Auguſtæ Nummos *In Theſauro Regin.* rariores aliquoties hic in Vrbe inſpeximus. *ANTONIAM* etiam, Germanici matrem & Auiam Caii, *AVGVSTAM* dictam S. *Lib. 59.* C. ac *SACERDOTEM DIVI AVGVSTI*, *Theſ. Grut. p. 236.* non ex Dione ſolùm, aut antiquo lapide, ſed ex præclaro eiuſdem Nummo diſcimus. Qui mirè inſuper illuſtrat locum Suetonij, quem prætericrunt viri docti: *Poſt hæc Antoniæ auiæ, quidquid vnquam Liuia Auguſta honorum cepiſſet, vno ſenatusconſulto congeſſit*. Liuia nempe, vt modò innui, dicta Iulia & Auguſta, ſtatim poſt mortem Coniugis, lectis ſcilicet tabulis teſtamenti; poſtea eodem conſecrato, Sacerdos etiam Diui Auguſti à Senatu declarata; vt diſertè hæc temporum diſcrimina obſeruat Dio, ſed cuius locum malè ſollicitauit & accepit interpres, τότε δὲ ἀθανατίσαντες αὐτὸν καὶ *Lib. 56.* θιασώτας, οἱ καὶ ἱερὰ, Ἱερειαν τε, τὴν λιυίαν, Ἰουλίαν τετὺ καὶ Αὐγυςαν ἤδη καλυμένω ἀπέδειξαν: *Tum verò Immortalium honore Auguſtum affecerunt, flamines illi & ſacra, ac Sacerdotem Liuiam (quæ iam ante Iuliæ & Auguſtæ nomina receperat) decernentes*. Hic planus loci ſenſus, nec mutatione illâ indiget νῦν καλυμένω pro

Digitized by Google

ἤδη καλουμένην, quæ locũ perturbat. Vides autem quam lucem vtrique tum Suetonio, tum Dioni fœneretur hic Nummus, qui congeſtos Liuiæ honores diuerſis temporibus, vno S. C. Antoniæ tributos exprimit, Auguſtę titulum, & Sacerdotium Diui Auguſti. Caii verò Sorores, vel proſtibula potius, *AGRIPPINAM, DRVSILLAM, IVLIAM* vulgatus iam Antiquariis eiuſdem Caij nummus tradit. At alius occurrit rariſſimus nummus Gazæ Farneſianæ, cum inſcr. *DIVA DRVSILLA, IVLIA DRVSILLA*, ex quo diſcimus & conſecratam reuera à Caio Druſillam, vt ex Dione licet colligere, qui & *Lib.59.* *PANTHEAM* dictã eandem refert, & alteram illam de filia potius quàm de ſorore Caij intelligendam. Clarè id videtur ex Suetonio colligi, qui de Caio refert mortuâ Druſillâ, quam impotenter adeò diligebat, & natâ illi filiâ ex vxore Cæſonia; *Infantem autem IVLIAM DRVSILLAM appellatam per omnia Deorum templa circumferens*. Vides hic Iuliam Druſillam & in memoriam quidem Diuæ Druſillæ ita nuncupatam. *AGRIPPINAM* etiam matrem eiuſdem Caii & Germanici coniugem, *AVGVSTAM* ex eiuſdem Nummis accepimus, vt cognomen illud videamus Matri ſimul & Auię Caium detuliſſe. Nec *AGRIPPINAM* ſolùm, eiuſdem

filiam,

filiam, ſed alteram etiam Claudij coniugem *VALERIAM MESSALINAM*, & Neronis *SABINAM POPPAEAM*, notas vitæ probro mulieres; tradunt ſelectiores aliquot Nummi. Priorem vulgarunt iam Erizzo & Triſtanus, & hic quidem cum inſcr. *VALERIA MESSALINA AVG.* At negotium hic Dio faceſſit, cuius locus merebatur expendi viris doctis & accuratis; qui tradit Claudium eâ vſum eſſe moderatione, vt neque nato illi Britannico AVGVSTI, neque huius matri *MESSALINAE*, appellationem AVGVSTAE dari paſſus ſit. Vnde nihil aliud hic reſtat, niſi vt lapſum Dionem ſtatuamus, quod durius mihi videtur; aut quod magis placet, Claudium in vxoris gratiam, poſteà à priori propoſito receſſiſſe. Id verò cùm nec in Cæſaribus alijs inſolitum, tum in mutabili & vxorio Claudio, minus mirum videbitur. Vt hoc etiam addam, rariſſimum huius Meſſalinæ nummum ita malè vt plurimùm iniuria temporis acceptum, vt minus commodè erui poſſet illius inſcriptio; quod & in eiuſdem nummo Cimelij Magni Ducis probarunt huius antiquarij, & arguit Erizzo, qui mutilam eandem tradit. *POPPAEAE* verò Græcum nummum adtulit Triſtanus, ſed in cuius appellatione malè litteras H P. ad Iunonem refert, quaſi in eo Sabina

Lib. 56.

Pop-

Poppæa Auguſta Iuno vocaretur : Id verò alienum, & præter eiuſmodi Inſcriptionum morem, iuxta quem litteræ illæ ad Vrbem Heracleæ, aut ſimilem referri debent, à qua nummus ille percuſſus. De hac verò Poppęâ iilud ſolùm obſeruo, eam à Ioſepho vt θεοσε-βῆ laudari. *STATILIAE MESSALINAE*
Lib. 20. ca. 7 alterius Neronis coniugis, Græcum etiam nummum edidit idem Triſtanus, de quo poteſt conſuli: vt mittam priorem eiuſdem coniugem *OCTAVIAM*, quam digniori fato ſeruarunt eiuſdem monumenta. *FLAVIA DOMITILLA* Victori liberta, & Vxor Veſpaſiani, ſed eo adhuc priuato exſtincta, à filiis eiuſdem Tito & Domitiano legitur conſecrata. Hinc eiuſdem Nummi cum Carpento non ſolùm & inſcr. *MEMORIAE DOMITILLAE*, verùm etiam alter rarior Farneſiani Cimelij, cum fig. ſtante & inſcr. *DIVA DOMITILLA*. Occurrit illius mentio, & filiæ eiuſdem nominis in veteri lapide,
Theſ. Grut. p. 245. qui eadem opera hic ſupplendus eſt; *FLAVIA DOMITILLA FILIA FLAVIAE DOMITILIAE IMP. CAESARIS VESPASIANI NEPTIS* &c. Ita enim legendum ibi nomen illius Auguſti; cuius tres poſteriores litterę tantùm deſcribuntur. Eundem honorem *IVLIAE* Titi filiæ adſerunt illius Nummi, in quibus Carpentum & inſcr.

DI-

DIVAE IVLIAE AVG. DIVI TITI F. Alteri Domitiani Coniugi, *DOMITIAE LONGINAE* nomen tribuit nummus Magni Ducis, qui vna parte Domitium, alterâ hanc Domitiam refert, ΛΟΝΓΕΙΝΑ ΔΟΜΕΤΙΑ CEBACTH. De hac muliere, quędam non protrita vide apud Triſtanum. Huius liberti, ſerui, ornatrices aliquoties nominantur in priſcis marmoribus, & eadem nonnunquam cum inſcr. *DOMITIAE DOMITIANI*. Sequentium verò Auguſtarum Hiſtoriam non minus illuſtrant Nummi. Neruam quidem Auguſtum, vxorem habuiſſe & filium ex vxore dictum Calpurnium, ex Plinio, Dione, & Victore etiam colligit Triſtanus, ſed nullo fundamento. Neque enim verba Plinij de Traiani adoptione id arguunt. *Itaque*, inquit, *adoptatus es, non vt prius alius atque alius in vxoris gratiam; Aſciuit enim te filium non Vitricus, ſed Princeps*, quæ nihil aliud quàm diuerſam Traiani & Tiberij vel Neronis, adoptionem probant; quorum ille à Nerua patrię caritate, hi ab Auguſto & Claudio in vxorum gratiam adoptati. Dio verò nihil aliud tradit, niſi Neruę Traianum, & quidem Hiſpanum adoptanti, coniunctos non defuiſſe. Nec de filio ſiluiſſet, vt quam celebrat Neruæ in patriam caritatem, magis conſpicuam redderet. Victorem autem, quem teſtem obiter hic appellat *Lib.68.*

pellat

pellat Triſtanus; non intellexit, ita enim ille, *Calpurnium Craſſum promiſſis ingentibus animos militum prætentantem, detectum confeſſumque Tarentum cum vxore remouit, patribus lenitatem eius increpantibus*. Plana hæc de Calpurnio & vxore eius à Nerua relegatis, ob crimen maieſtatis, ex quibus tamen vxorem eiuſdem Neruæ & Calpurnij matrem commentus eſt Triſtanus, parum certè probabili coniectura. At verò veriſimilius quis ignotum ex auctoribus Neruæ matrimonium, colligat ex eius nummo recondito in Cimelijs Magni Ducis, in quo cap. muliebre ornatum diademate cum inſcr. *IMP. NERVA CAES. AVG.* in auerſa, Globus cum temone; ni tamen inſolitus vſus diadematis illis temporibus, ad Deam aliquam, puta Iunonem, eundem Nummum referendum potius arguat. Traiani verò non ſolùm vxorem *PLOTINAM*, ſed & *MARCIANAM* ſororem, & filiam huius *MATIDIAM*, *AVGVSTAS* ex Nummis & Lapidibus declaratas diſcimus. Soror verò huius Matidiæ *SABINA*, infauſta coniux Hadriani, cùm in vulgatis Nummis, tum in rariſſimo Farneſiano, vna cum Antinoo mariti catamito depicta occurrit. *FAVSTINAS* Matrem & Filiam, non trita ſolùm numiſmata, ſed rariora nonnulli exhibent. Tale Fauſtinæ Senioris, in cuius auerſa parte pubes filius Ga-

lerius Antoninus deſcriptus ſimul ac depi-
ctus legitur. Primus edidit illum Triſtanus,
ſed qui ex Nummo Magni Ducis ita ſuppleri debet, M. ΓΑΛΕΡΙΟϹ ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ΥΙΟϹ. Vnde patet non *Annij* vt exiſtimabat Triſtanus, ſed *Marci* prænomen fuiſſe huic Galerio, Antonini Pii & Fauſtinæ filio, cuius obſcura alias apud auctores mentio. Nec minus rarior alter eiuſdem Fauſtinæ nummus, in quo Sabinæ cum paruulis interuenientes Sabinorum & Romanorum certamini, cuius nummi notitiam mole & raritate inter paucos inſignis Cl. Gottifredi acceptam fero. Ad *FAVSTINAM* verò *IVNIOREM* ſpectat rariſſimus eius Nummus nuper mihi inſpectus, in quo Cybele inter duos Leones; & Paris alatus ad pedes, vt exiſtimant docti antiquarij. Ad eandem verò refero nummum *In Theſauro Reginæ.* æreum maximum, ſed temporum iniuria malè acceptum, in quo eadem illa ſub Cybeles habitu leoni inſidens ſpectatur; cui Nummo geminam & præclaram quidem ſtatuam in Villâ Pamphilianâ nuper obſeruabam. Pertinet etiam ad hanc Fauſtinam, alter eiuſdem nummus à Triſtano adlatus, ΦΑΥϹ ΤΕΙΝΑ ϹΕΒΑϹΤΗ ΕΥϹΕΒ.ϹΕΒ. ΘΥΓΑΤΗΡ, ſed *Tom.1. p. 593.* quem aliud agens procul dubio, vertit FAVSTINA AVGVSTA PII AVGVSTI

CONIVNX, & ita perperam ad Matrem non ad filiam refert. Nec Commodi ſolùm vxorem *CRISPINAM* Dianæ habitu, ſed & eiuſdem pellicem *MARCIAM*, Palladis aut Amazonis inſtar depictam in Nummis Cl. Gottifredi inſpexi, qui Regiæ *CHRISTINAE* gazæ cum reliquis acceſſerunt. De hac poſtrema Lampridius, *Commodus Amazonius Marciam Concubinam in Amazone pictam diligebat*. Pertinacis coniunx *TITIANA* Antiquarijs hactenus ex Nummis ignota, licet in Nummo quodam Magni Ducis ſpectetur, in cuius auerſa parte nauis cum velo. Neque enim ſilendum, haud immeritò ſuſpectum eundem fuiſſe erudito illius Gazæ cuſtodi Petro Fittonio, quaſi Criſpinæ caput in anteriori parte referret. Vt enim alia mittam, Pertinacem certè, vxorem Auguſtam dici noluiſſe tradit Dio, quamuis aliunde ſciamus, hoc nomen eadem die vtrique coniugi à Senatu delatum. At ſucceſſoris eiuſdem Didij Iuliani, duas Auguſtas nuncupatas, Vxorem & Filiam, *MANLIAM SCANTILLAM & DIDIAM CLARAM*, Nummi earundem probant: vt verè pateat adſertum à Spartiano, *Vxor etiam Manlia* (non vt ibi legitur Mallia) *Scantilla & filia eius Didia Clara Auguſtæ ſunt appellatæ*. IVLIA DOMNA vxor Seueri ex eiuſdem Nummis nota, & iam

Lib. 73.

Capitol. in Pertin.

In Didio Iulian.

ex

ex ijs caſtigatus àb eruditis error Ritterſhuſij, qui ΔΟΜΝΑΜ ab Oppiano per Syncopen pro *Domina* dictam exiſtimauerat. Peregrinum enim id nomen Syræ huius mulieris, ſicut in Oriente & Aegypto frequens occurrit apud auctores Eccleſiaſticos, *DOMNI & DOMNAE* appellatio. Diuerſa verò Domni apud Anaſtaſium alioſque coæuos Scriptores ratio, qui Cæſaribus aut Eccleſiarum Antiſtibus, vt dignitatis Vocabulum vulgò tribuitur. Malè verò eadem, pro Iulia Domna, *IVLIA DONINA* legitur in veteri lapide apud Gruterum. Nec minus quis ex eiuſdem IVLIAE nummis colligat, eam male ab Eutropio, Spartiano, & Euſebio in Chronico, nouercam Caracallæ, & poſtea eiuſdem vxorem, non autem matrem ſtatui. Certe præter potiorem hic longè Oppiani, Herodiani, & Dionis, coæuorum ſcriptorum auctoritatem, MATER AVGG. Caracallæ nempe & Getæ vocatur ſine vllo diſcrimine, & manifeſtius adhuc Mater huius Caracallę in priſcis monumentis. Vnde occurrit eiuſdem IVLIAE mentio in veteri lapide, qui Scaligero alijſque eruditis crucem fixit, *Theſ. p. 268*

I. O. M. ET.
IVNONI REGINAE
PRO SAL. IMP. M. AVR. ANTONINI
PII AVG ET IVLIAE AVG MATRIS
Dd 2 *AVG.*

AVG. M. VLP. MVCIANVS
MIL. LEG. XIII. GEM.
HOROLOGIAR. TEMPLVM
A SOLO DE SVO EX VOTO
FECIT
FALCONE ET CLARO COSS.

Nulla enim alia hæc Iulia Mater Aug. niſi eadem hęc Mater Caracallæ, qui M. Aurelius Antoninus Pius paſſim in Nummis vocatur. Vnde accedere non poſſum nuperę viri doctiſſimi ſententiæ, qui ob repertam ſibi in Nummis Iuliam Soæmiam Matrem Elagabali, non parum ſibi gratulatur, & ad eandem continuò lapidem hunc refert. Neque enim hanc Iuliam, ſine adiuncto *SOAEMIAE* cognomine in priſcis monumentis dictam reperies; quum Iulia Seueri in ijſdem paſſim *IVLIA PIA*; *IVLIA AVGVSTA* deſcribatur; vt mittam geminam cum hoc ſaxo aliorum auctoritatem, in quibus iiſdem verbis hanc *IVLIAM MATREM AVG.* hoc eſt Caracallę vocari videas. De Cōſulibus, qui Scaligerum hic turbarunt, res facilè componi poteſt, ſi non pro ordinarijs,ſed ſuffectis habeantur; vt alias idem vir doctiſſimus rectè obſeruauit. Eiuſdem verò Caracallæ vxor *PLAVTILLA*, cùm in Nummis vulgaribus, tum in altero Græco apud Triſtanum, cum prænomine *FVLVIAE* ſpectatur. Eandem exhi-

exhibet inſignis mole & raritate nummus *In Theſ. Reginæ.*
Tarſi percuſſus. Elagabali mater *IVLIA SOAEMIAS*, & tres eiuſdem vxores, *IVLIA PAVLA*, *IVLIA AQVILIA*, *ANNIA FAVSTINA* in ſelectis numiſmatibus etiamnum proſtant. Poſterioris nomen ex Nummis demum diſcimus, quam alias à Commodo genus deriuaſſe tradit Herodianus, Dio verò M. Aurelij Neptem vocat. Vnde nempe illi *ANNIAE FAVSTINAE* ab Auia cognomentum. Malè verò eadem prior Elagabali coniux à Triſtano ſtatuitur, quum & Herodiano tertia diſertè annumeretur, *Lib. IV.* & cæde mariti Pomponij Baſſi quæſitas illius nuptias, ſed non primas Dio ſtatuat. *Lib. 79.* Duas verò priores prænomen *IVLIAE* geſtaſſe, non aliunde rurſus quàm ex earum Nummis intelligimus; quarum altera *CORNELIA PAVLA*, altera ſine alio prænomine *AQVILIA SEVERA* Dioni vocatur. Vnde etiam diſcimus frequenter id receptum eâ maxime ætate, vt Auguſtarum nomina mutarentur, aut ornarentur alterius prænominis additione; quod his Elagabali coniugibus, ex earum Nummis videmus concontigiſſe. Exemplum dederat LIVIA, cui primæ cognomen AVGVSTAE, cum prænomine IVLIAE conceſſum vidimus. Hinc poſtea frequens illud Auguſtarum prænomen,

vt

vt *IVLIAE DRVSILLAE*, *IVLIAE AGRIPPINAE*, *IVLIAE TITI*, & in IVLIA PIA Seueri coniuge renouatum, quæ *DOMNA* ante illud faſtigium vocabatur, quod alias eandem e familia Iuliorum traxiſſe obſeruat doctiſſimus Reineſius. Ab eâ certè translatum ad Auguſtas & Gentiles eorundem temporum, *IVLIAM MAESAM* huius ſororem ac Auiam duorum Auguſtorum, *IVLIAM SOAEMIAM* Elagabali, & *IVLIAM MAMMEAM* Alexandri Seueri Matres, & earum exemplo ad vtramque illam Elagabali Coniugem: ita vt eadem ætate Auguſti ANTONINI, Auguſtæ verò IVLIAE vulgò dicerentur. Neque tamen octo IVLIAS intra Seueri & Alexandri tempora, vt exiſtimabat vir longè eruditiſſimus, ſed ſex tantum reperias, modò commemoratas; Seueri Coniugem eandemque Matrem Caracallæ; Sororem eius Auiam duorum Auguſtorum Elagabali & Alexandri; Matres vtriuſque; & duas prioris vxores. Neque enim aut tertia vxor Elagabali dicta IVLIA, vt patet ex eius Nummis, & ideo, vt exiſtimo, quod ſtirpem & clarum nomen duarum Auguſtarum iam aliunde ad mariti nuptias adferret; neque etiam vlla IVLIA Alexandri Seueri uxor occurrit in priſcis monumentis. Alia nempe illi in iiſdem tribuitur, antiquarijs etiam

vulgò

vulgò ignota, *SALLVSTIA BARBIA, ORBIANA*, quæ vt alias ſine mariti effigie ſpectatur; ita occurrit in rariſſimo nummo eiuſdem Alexandri. Illum enim à ſe inſpectum ſignificauit mihi aliquoties Cl. Gottifredi, in anteriori parte referentem Alexandrum Seuerum, in altera hanc Salluſtiam Orbianam. Vnde illius auctoritate, hæc non Traiani Decij, vt vulgò hactenus Antiquarijs perſuaſum, ſed eiuſdem Seueri Vxor eſſet ſtatuenda. Quod ipſum confirmare videntur alij Nummi eiuſdem *SALLVSTIAE*, in quibus illa cum coniuge depicta, manus eidem tradens, & inſcr. CONCORDIA AVGVSTORVM, quorum ille Alexandrum Seuerum potius quàm Decium referre videtur. Turbat aliquantum inſcriptio marmoris

In Theſauro Card. Buon-Compagni.

Theſ. Grut. p. 274. 2.

GNAEAE
SEIAE HEREN
NIAE SALLVS
TIAE BALBIAE
ORBIANAE AVG.
CONIVGI DOMINI
NOSTRI AVG.
VALENTINI VE
TERANI ET
VETERES.

in quâ ea *DOMINI NOSTRI* appellatio ad Decij magis, quàm Seueri tempora vide-

videtur referenda. Quibus addi poſſet nummi à Triſtano adlati auctoritas, in quo illinc Hoſtilianus Decj filius aut gener potius, hinc *SALLVSTIA BARBIA ORBIANA*, ſiue eadem cum hac Salluſtia; ſiue filia illius, vt credidit Triſtanus, ſtatuatur. Adeò vt vel alterutrum fateri oporteat, aut duas cum his nominibus Auguſtas floruiſſe, alteram Alex. Seueri, alteram Decii coniugem; aut de fide horũ Nũmorum eundũ vlterius in conſilium. Diuerſam aliàs vxorem eidem tribuit Lampridius, nomine *MEMMIAM*, quam & *MEMMIAM SVLPICIAM*, neſcio cuius nummi fide protulit Goltzius. Maximini etiam Coniunx ſed tacito nomine ab Appiano & Zonara refertur, quorum iſte eandem à truculento marito interfectam narrat. Ea verò vulgò ſtatuitur ab Antiquariis, non Calpurnia quædam cum doctiſſimo Camerario, ſed quæ in veteri numiſmate occurrit appellata; *DIVA PAVLINA* & in auerſa parte cum Conſecrationis nomine & ſymbolis. Vt verum tamen fatear, leuibus aut nullis potius id coniecturis hactenus nititur; quum id neque ex nummi inſcriptione, aut aliis Veterum monumentis liceat hodie colligere. Immo obſtare potius videntur illa conſecrationis ſymbola; quem honorem Tyranni coniugi, & hoſti Senatus, ab eodem

Se-

Senatu habitum parum videtur mihi veriſimile. Fruſtra enim Triſtanus illum tuetur exemplo Poppææ, & Sabinæ, quæ quamuis à maritis interfectæ, eorum tamen opera fuerint conſecratæ. Neque enim eadem Maximini ratio, cuius & ferocius adhuc ingenium, & breue ac procul ab vrbis conſpectu imperium, & cum perpetua Senatus diſſenſione coniunctum, & infenſi denique poſt mortem ſucceſſores. Notum aliàs, etiam ſub Cæſarum imperio, penes Senatum fuiſſe conſecrandi facultatem; adeò vt difficulter honorem illum Hadriano mortuo extorſiſſe legatur Antoninus. Mitto leuiores adhuc eiuſdem Triſtani coniecturas, qui modò *IVLIAM PAVLINAM*, dictam eandem fingit pro arbitrio, & modò Iulij Pauli I. C. modò Pontij cuiuſdam Paulini filiam, modò eandem credit, cuius mentio leg. 34. de legat. *Paulinæ filiæ meæ legatum*. Hęc enim omnia tam incerta quàm incertiſſima. Si aliquis coniecturæ hic locus, & Nummi elegantia pateretur, ad *PAVLINAM* Hadriani ſororem magis placeret eandem referre, de qua exſtat nobilis adhuc Inſcriptio. Id verò poſtea Occoni in prioribus eius curis placuiſſe animaduerti, qui dein motus Panuinij & aliorum auctoritate, dubius tamen in vulgatam ſententiam conceſſit. Inſcriptio autem talis, *Capitol in. in Anton. Pio.*

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

DOMINA.
PAVLINAE SO...
IMP. CAESAR
TRAIANI HADR.
AVG.
FVNDA.
D D.

Huic enim exemplo Traiani Sororis Marcianæ, idem Conſecrationis honos à Senatu haberi potuit. Verùm obſtat vt dixi, Nummi illius Diuæ, rudior pro Hadriani ætate figura & adſpectus, tum forte Excerptorum Dionis auctoritas, in quibus ſugillatus legitur Hadrianus, quod conſecrationis honorem Antinoo catamito, non autem Paulinæ ſorori deferri curaſſet. Notior ex iiſdem Nummis, Gordiani coniunx *FVRIA SABINA TRANQVILLINA* ita in Nummis aliquot deſcripta, & Philippi *MARCIA OTACILLA*, quam malè in Optatillam vertebat nuper vir doctiſſimus. Hæc verò cùm in plurimis nummis obuia, percuſſis in celebritate ludorum ſæcularium, tum in præclaro Farneſiano,cum Inſcr. SAECVLVM FRVGIFERVM, & in altero cum omnibus eius cognominibus *MARCIA OTACILLA SEVERA AVG.* De Traiani Decij, quæ vulgo hactenus creditur, vxore *SALLVSTIA BARBIA ORBIA-*

BIA-

BIANA, modo vidimus eandem pręclari nummi fide Alexandro Seuero adiudicari. Alteram etiam eiuſdem filiam eruit Triſtanus cum Inſcr. *SALLVSTIA HERENNIA BARBIA ORBIANA*, quam Hoſtiliani coniugem credit, ni potius eadem cum matre ſit ſtatuenda. Sic alia rurſus in Nummis occurrit *HERENNIA ETRVSCILLA*, quę Decij filia,Herennij Etruſci ſoror ex vtroque nomine,& vxor VOLVSIANI vulgò antiquariis ſtatuitur. Turbat tamen hic Onufrius, qui eandem *HOSTILIANI* coniugem cenſet, & firmat etiam nummi auctoritate, in quo hinc Hoſtilianus ſcilicet, illinc Herennia Etruſcilla deſcribuntur. Atqui labat tota Nummi illius, vt ab eo deſcribitur, fides, in quo diuerſa Hoſtiliani & Etruſci nomina confundit. Neque enim Etruſcus tulit nomen Hoſtilij, neque Hoſtilianus Etruſci, quæ omnia mirè ibi permiſcet Onufrius, dum eadem Nummorum auctoritate vult cõfirmare. Aliâs vt fatear, nihil obſtare video, quin hæc Herennia æquè Hoſtiliani, ac Voluſiani vxor cenſeatur. Nec ſolum nota ex iiſdem, aut Valeriani Patris *MARINIANA*, aut Gallieni *SALONINA*, ſed & fratris Valeriani iunioris vxor *CORNELIA SVPERA* à Triſtano ex rariſſimo nummo primùm producta. Eadem felicitate e nummis *Tyrannæ*, vel *Tyrannides*, ſicut vocat eas alicubi *In Victoria.*

Pollio, *IVNIA DONATA* Vxor Poſtumi, & *VICTORIA* Mater Victorini, cum inſcr. *MATER CASTRORVM*, ſicut Pollioni vocatur. Altera etiam Virago, *ZENOBIA AVGVSTA* in Græco nummo indigitata, vt non filiorum ſolùm liqueat, quod Vopiſcus tradit, ſed proprio etiam nomine imperij inſignia ſuſcepiſſe. Probi etiam Vxorem aliunde ignotam Strada iam olim ex Nummo argenteo protulit, in quò coniuncta Probi & Coniugis capita, prætérito tamen huius nomine. Talem æreum maximum & exquiſitæ raritatis inter Nummos Auguſtæ Reginæ aliquoties inſpexi. Vnde verò dictam eandem *IVLIAM PROCLAM* hauſerit nonnemo, fateor me cum ignariſſimis neſcire. Ipſa verò Aureliani *SEVERINA*, Diocletiani filia *GALERIA VALERIA* Maximiani vxor, & Maxentij *MAGNIA VRBICA*; non vt apud Occonem *MAGNENTIA VRBICA*, Auguſtarum etiam ſeriem implent. At Conſtantini ſanctius matris nomen, in præclaro nummo Leonardi Agoſtini celebris in Vrbe Antiquarij occurrit, *FL. IVL. HELENA AVG.* vnde Flauiam Iuliam dictam eandem, ſicut ex veteri inſcriptione diſcimus. Ità repetitum in eadem videas nomen *IVLIAE*, Auguſtis olim familiare. Infauſtam verò Conſtantini vxorem non *FAV-*

STAM

STAM ſolùm ſed *FLAVIAM* etiam & *MAXIMAM* dictam intelligimus, ex rariſſimo illius Nummo, in quo duos liberos geſtans depingitur, cum inſcr. *FLAVIA MAX. FAVSTA AVG.* Ita mitto iam aut eiuſdem Conſtantini filiam & Galli Coniugẽ, celebrem in priſcis Annalibus, cuius verum nomen & vultus ex Nummis demum eruitur, *FL. IVL. CONSTANTINA AVG.* Vt agmen iam hic claudant, duæ magni Theodoſii coniuges, in monumentis id genus poſteris conſignatę, *AELIA FLACCILLA & GALLA PLACIDIA.* *In Theſauro Reginæ.*

Neque minor circa TITVLOS & DIGNITATES Auguſtorum, lux ex iiſdem Nummis adfulget. Alios nempe noſti ex iiſdem honoribus, Candidatis Imperii, alios Imperatoribus ipſis tributos. Prioris generis nota *CAESARIS* nomenclatio, quæ antea primi tantum faſtigii, mox etiam euaſit ſecundi appellatio; ita tamen vt ab vtroque ſit retenta. Adhibitum nempe hoc diſcrimen in iiſdem Nummis videas, vt quæ Auguſti ſucceſſoribus ad Veſpaſiani tempora, cognominis loco cedebat, poſtea mutata ſede, prænominis vicem vt plurimùm occuparit, ac pro Cognomento, Auguſtorum liberis aut apparitoribus, vt vocat eos Ammianus, vulgò fit relicta. Vnde qui ante imperium, *DOMITIANVS* *De Titulis & appellatione CAESARVM.* *Lib. XVII.*

NVS CAESAR in Nummis vocatur, eodem adepto *IMP. CAESAR DOMITIANVS AVG.* in illis deſcribi ſolet, & ita reliqui. Quæ obſeruatio eò etiam confert, vt originem adſequamur illius moris, quo diuiſa illa *AVGVSTI & CAESARIS* nomina, & quem videas inter veteres ac recentiores controuerti. Ita ut errare pateat, & Victorem Schotti, qui à Traiano Hadrianum adoptante, inductam hanc Cæſaris eo ſenſu appellationem credit; & Caſaubonum alioſque eruditos, qui e Spartiano colligunt eandem ab Hadriano, Aelio Vero primùm conceſſam; & *In L.Vero.* Capitolinum, qui eandem illi prærogatiuam tribuit, vt primus Cęſar ſit renuntiatus. Apertè certè iiſdem repugnat, & Dio, qui Traianum ipſum Cæſarem à Nerua in Senatu *Lib.68.* declaratum ſcribit, & idem Auctor, qui Veſpaſianum Imperatorem creatum à Senatu, *Lib.66.* Titum autem & Domitianum Cæſares tradit deſignatos, & cum eodem Dione vel Sueto- *Lib.63.* nius, qui idem de Domitiano adſerit, vel Ta- *Hiſtor. lib.1.* citus, qui iam ante Piſonem à Galba adſcitum obſeruat; & Nummi denique qui perſpicuè originem huius rei indicant. Quum enim momentanea tantùm fuerit hæc adoptio Piſonis in nomen Cæſaris adſumpti, nec tradita publicis eorundem temporum monumentis, hinc à Tito & Domitiano primùm Cæſaribus,

dein

dein Auguſtis, vſum huius appellationis, & dignitatis liquet ad eorum ſucceſſores tranſiiſſe. Perſpicuè id videntur mihi euincere, cùm mutata primùm ſedes nominis Cæſaris, in Nummis Veſpaſiani; tum clarius Domitiani Numiſmata, in quibus *CAESAR* ante imperium vocatur; tum maximè rariſſimus nummus æreus ſub Veſpaſiano percuſſus, in cuius anteriori parte illius effigies, in altera duæ figuræ equitantes, *TITVS ET DOMITIANVS CAESARES PRIN. IVVENTVTIS*, cui ſimilem etiam argenteum Occo in medium adtulit. Ex cuius præclari Nummi inſcriptione licet colligere: Primò, inductum pridem hunc morem, vt in deſignatione Cæſarum, præter ſolita congiaria & donatiua, facti illius memoria, cum eorum vultibus Nummis traderetur. Hinc id inter prærogatiuas Cæſarum receptum, vt præter luculentam Nummorum congeriem cum imagine Cæſarum, apertè docet Herodianus; qui Seuero tribuit, vt de Clodio Albino Cæſare à ſe renuntiato fidem faceret, νομίσματα τέ αὐτῷ κοπῆναι ἐπέτρεψε, *nummos cum eius effigie ſignari permiſit*. Secundò, à Veſpaſiano aut à Senatu in illius gratiam, inſtitutam hanc Cęſarum deſignationem, vt firmaret in duobus filiis ſucceſſionem, exemplo & iiſdem verbis Auguſti Caium & Lucium Nepotes adoptantis; cuius

In Theſauro Magni Ducis.

Hiſtor. lib. 3.

rei

rei memoria, obuio illius nummo etiam tradita; cum vtriuſque effigie & inſcr. gemina *CL. CAESARES AVGVSTI F. COS. DESIG. PRINC. IVVENT.* Adeò vt mirer obſeruare eruditiſſimum Caſaubonum, quò inventum hoc Cæſaris pro Candidato imperii, Hadriano adſereret, eadem mente Auguſtum Caium & Lucium *PRINCIPES IVVENTVTIS* appellaſſe; quum tamen alteram *CAESARVM* appellationem præterire ibi non debuerit, in quam eodem fine adſcitos ab Auguſto ex filia Nepotes conſtat. Tertiò, omnino reſtituendam Spartiano antiquam lectionem, *de Aelio verò dicendum eſt, qui tantùm Cæſaris nomen accepit*, vbi malè *primò* aut *primus tantùm*, contra rei veritatem, & meliorum codicum fidem inuexit Caſaubonus. Quartò, non per πρόληψιν ſeu anticipationem, vt viſum quibuſdam eruditis, *CAESARIS* nomen candidatis imperii ab Auctoribus quandoque tribui ante Aelium Verum, quod tamen reuera ſerius ſit receptum. Immo præter fratres *TITVM & DOMITIANVM*, accedit iiſdem Domitiani filius adhuc infans *CAESAR* ſalutatus, & poſt mortem Diuis adſcriptus; vt patet ex matris Domitiæ Nummis, in quorum auerſa parte, *DIVVS CAESAR IMP. DOMITIANI F.* Quintò, non ſolùm *CAESARIS*, ſed

In Aelio.

ſed etiam *PRINCIPIS IVVENTVTIS* appellationem, ſymbolum fuiſſe futuræ ſucceſſionis; vndè vulgò in Nummis & Marmoribus, vtrumque Auguſtorum liberis, aut hæredibus tributum videas. Hunc nempe titulum eo ſenſu in Caio & Lucio Cæſaribus cœptum; in Nerone & Druſo, dein altero Nerone renouatũ; in Tito & Domitiano ac in reliquis dein Cæſaribus paſſim admiſſum, ſicut Aurelio, Commodo, Geta, Diadumeniano, Philippo, Hoſtiliano, Herennio, Gallieno Salonino, Carino, Numeriano, Maximo, Galerio Maximiano, vſque infrà Conſtantinorum tempora, Nummi ante oculos ponunt. Eundem certè et Conſtantino Magno tribuit nummus Auguſtæ Reginæ, & filio eiuſdem Conſtantino Iuniori, nummus æreus maximus Eminentiſſimi & celebratiſſimi Cardinalis Barberini. Ita Tiberium nepotem Imp. Tiberij, *PRINCIPEM IVVENTVTIS* renuntiatum adoptauit Caius, ſed quem mox e medio ſuſtulit. Nomen alias illud *PRINCIPIS IVVENTVTIS*, libera Rep. nobiliſſimis adoleſcentibus Equeſtris ordinis conceſſum; quo etiã nomine Brutum & Curionem compellat in epiſtolis Tullius, ſicut alias omnium Ordinum, & Cæſarianorum etiam Principes quoſdam fuiſſe, diſcimus ex priſcis monumentis. *Dio lib. 59*

In hunc etiam ordinem ſecundi faſtigij, referri debet dignitas *SACERDOTIS COOPTATI IN OMNIA CONLEGIA SVPRA NVMERVM*, ad quam vocati in ſpem ſucceſſionis, vulgò euehi conſueuerant. Clarum id ex Neronis Cæſaris nummis, cui adoleſcenti hanc appellationem iidem largiuntur; ſicut etiam M. Aurelio Cæſari deſtinato vetus lapis. Vnde illuſtratur quoque Lampridij in Commodo locus, qui de illo vt Cæſare adhuc loquens, *Adſumptus in omnia Collegia Sacerdotalia Sacerdos Commodus*. Malè autem priorem hunc nummum ad Druſum Germanicum Tiberii fratrem retulit vir doctus, deceptus nominum communione, *Neronis Claudij Druſi Germanici*, quæ cùm alibi, tum in nummo aureo Claudii, Neroni tribuuntur, cum depicti illius adhuc adoleſcentis effigie, & inſcr. *PRINC. IVVENT.* Ratio autem illius inſtituti petenda ex reliquis Auguſti arcanis, quibus vt ſupremum rerum aliarum arbitrium, ità ſacra omnia, & religiones Populi Romani, in ſua voluit habere poteſtate. Hinc inter reliquos honores ab Auguſto admiſſos, illum quoque Dio alicubi commemorat, vt Sacerdotes quoſcunque pro arbitrio conſtitueret, neglecto etiam numero antiquitus recepto; quod ab eo præſtitum tradit, poſtea in immenſum excreuiſſe. Ita factum,

Iac. Guther. de Iur. Pontif lib. 1. c. 9.

In Cimelio Ser. Principis Leopoldi.

Lib. 51.

ctum, vt præter receptam Pontificis Maximi dignitatem, auctus ſit ab eo Sacerdotum numerus, & in eorum Collegia vnus e proximis ac hæredibus adſcitus; quomodo & in filium Caium legitur Sacerdotium contuliſſe. Vnde *Dio lib. 55.* id quoque præter alia, ab eodem Auguſto hauſerunt ſucceſſores, vt omnibus illis Sacerdotij maturè inaugurati, hæredes ſuos in eadem cooptarent. Quo conſilio etiam videas Getæ coniunctas Cæſaris, Principis Iuuentutis, & Pontificis appellationes, in Nummis aliquot tributi, *P. GETA CAES. PONTIF. PRINC. IVVENT.* vt hæc ſingula primi faſtigij tyrocinia facilè agnoſcas. Ita hoc veluti rudimento, ſacris vt Cæſares initiati, Auguſti demum ſupremam Sacerdotij dignitatem, Pontificatum nempe Maximum conſequebantur. Arcanum hoc cum aliis id genus recluſit nobis Dio, ſed cuius lo- *Lib. 53.* cum non rectè cepit interpres, ἔκ τε τοῦ ἐν πάσαις ἱερωσύναις ἱερῶσθαι, καὶ προσέτι καὶ τοῖς ἄλλοις τὰς πλείους σφῶν διδόναι, ἀρχιερέων τε τινὰ αὐτῶν, κἂν δύο κἂν τρεῖς ἄρχωσιν εἶναι, πάντων αὐτοὶ καὶ τῶν ὁσίων καὶ τῶν ἱερῶν κυριεύουσιν. *Ex eo autem, quod omnibus Sacerdotijs inaugurati ſunt Imperatores, & quod alios in pleraque illa collegia adſciſcunt, ſemperque vnus eorum, vbi duo vel tres ſimul imperant, ſummum Pontificatum gerit, continuò fit vt omnium Religionum & Sa-*

crorum domini euadant . Vides hic apertam huius moris originem, inauguratos omnibus Sacerdotijs Imperatores, & alios in eadem ab ijs adſcitos, h. e. Cæſares, & in ſpem ſucceſſionis adoleſcentes, non autem, vt ſenſum peruerterat interpres, *ac pleroſque in ea collegia adſciſcunt*, contra Dionis mentem, & totam arcani illius politici rationem. Mitto alias adhuc dignitates Auguſtorum, cum Cæſaribus frequenter communicatas, Conſulatum, Tribunitiam Poteſtatem, Ius Proconſulare, vt cùm ex ijſdem Nummis, tum ex aliis monumentis Hiſtoriæ Auguſtæ licet obſeruare. Alias quænam Cæſaris ita dicti partes fuerint,

Lib. XVII. docet eximius Ammiani locus; *erat enim neceſſe, tanquam apparitorem CAESAREM ſuper omnibus geſtis ad Auguſti referre ſcientiam*. Ab hac verò CAESARIS appellatione, ΚΑΙΣΑΡΙΣΣΑΙ vel *Cæſariſſæ* etiam dictæ filiæ Auguſtorum ſequiori æuo, vt ex Nicetâ, aliiſque Bizantinis Scriptoribus licet colligere.

De Titulis AVGVSTORVM.

Primi autem faſtigii appellationes, aliæ communes ſingulis Imperatoribus, aliæ propriæ & peculiares quibuſdam, in eorundem Nummis occurrunt. Priores illas rurſus ita

Lib. 53. apud Dionem diſtinctas noſti, vt quędam ſucceſſionis aut ſplendoris eſſent vocabula, ſicut *CAESARIS*, *AVGVSTI*, *PATRIS PA-*

TRIAE

TRIAE, PII, FELICIS; alia inſignia dignitatis ac potentiæ, vt *CONSVLIS*, *IMPERATORIS*, *PONTIFICIS MAXIMI*, *TRIBVNITIAE POTESTATIS*, nonnunquam *CENSORIS*, & labente imperio *DOMINI* appellationes. Omnes autem illas ab Auguſto aut repertas, aut renouatas, aut ex ciuili vſu Reipubl. deſumptas, ad eius ſucceſſores tranſiiſſe, docent eorum Nummi. Ex quibus etiam animaduertas, non ſolùm totam honorum id genus congeriem, ſed diſcrimina inſuper & gradus, quibus iiſdem ſolebant conferri. Notum enim decreto Senatus, & per quædam temporum interualla, titulos illos Imperatoribus delatos, donec poſtea tandem vel vniuerſos Cæſares ipſi vſurparent, non exſpectato Senatus decreto, vel iidem vna vice à Senatu illis deferrentur. Prioris moris exemplum inuexit Elagabalus, de quo refert Dio, eum occiſo Macrino, in Epiſtolâ ad S. P. Q. Romanum ſcripta, Imperatoris, Cæſaris, Antonini filij, Pij, Felicis, Auguſti, Proconſulis, Tribunitiæ Poteſtatis nomina necdum ſibi decreta priorem occupaſſe. Poſterior in Alexandro Seuero illius ſucceſſore à Senatu inductus; quem refert Lampridius, Auguſti & Patris Patriæ nomen, ac reliqua poteſtatum nomina, deferente Senatu, vno die adſumpſiſſe. Cuius moris vt inſoliti cauſas idem

Lib. 79.

In Alex. Seuero.

rra-

tradit, ſtudium Senatus, vt militibus creandi Principem tolleret occaſionem, & Populi ac Senatus in eundem Alexandrum propenſionem. *Hac igitur cauſa*, inquit, *feſtinatum eſt, vt omnia ſimul Alexander quaſi Vetus iam Imperator acciperet*, & paulò poſt. *Certatim denique omnia decreta ſunt & Nominũ genera & Poteſtatum. PRIMVS denique omnium cuncta inſignia & honorificentiæ genera ſimul recepit.* Accedit his obſeruatio alterius moris, quo vel cautela, vel moderatione nonnullorum Principum, aut aliqui honores ex iis plane reiecti, aut alij ſerius ab iiſdem admiſſi. Quæ omnia commodè poſſunt ex iiſdem Nummis intelligi.

Lib.53. *De nomine CAESARIS & AVGVSTI.*

CAESARIS quidem ad declarandam dignitatis, ſi non generis ſucceſſionem, ſeruata ab Imperatoribus nomenclatio; à quâ Vitellium tamen abſtinuiſſe; patet ex eiuſdem Nummis: vt verè adſertum ſit à Suetonio, *Vitellius Germanici cognomen recepit, Auguſti diſtulit, Cæſaris inperpetuum recuſauit. AVGVSTI* verò à priori illo Auguſto recepta nomenclatio, nouo & ampliori cognomine; quàm Romuli; quod tamen vehementer illum ambiuiſſe tradit Dio. Religioſam enim *AVGVSTI* appellationem, & vi illius nominis, viuos quaſi & videntes Cæſares conſecratos, præter Tranquillum aut Dionem, manifeſtè

feſtè Appianus refert. Hinc paſſim eadem in Nummis Cæſarum retenta, vt proprium inſigne primi faſtigij, vnde & *ſuperior poteſtas* vocatur Ammiano, & Græcis μεγάλη προσηγορία, & apud Euſebium, in vita Conſtantini, μέγισον τῆς ἀνωτάτω βασιλείας σύμβολον, alibi ἀνώτατος παρὰ Ρωμαίοις τιμὴ quibus appellationibus *AVGVSTI* nomen deſignatur. Vt videas, cur non ſolum coniuncta cum reliquis poteſtatum nominibus, ſed ſola etiam iiſdem omiſſis, occurrat in multis Cęſarum nummis *CAESAR AVGVSTVS* & eius exemplo, *HADRIANVS AVGVSTVS*; *M. AVRELIVS AVGVSTVS*; *ANTONINVS AVGVSTVS* de Caracalla; *GALLIENVS AVGVSTVS*, & ita in aliis. Vnde non leuiter errat vir doctus, qui illud *AVGVSTI* cognomen, à Tiberio, Caio, Nerone, Galba Traiano; aliiſque reiectum putat, à Pio vero, M. Aurelio, Pertinace primùm admiſſum, *ANTONINI* nomine poſtea in eiuſdem locum ſuffecto, omiſſum poſt Maximinum verò renouatum ſcribit, à cuius temporibus ſcilicet Imperatores *AVGVSTI*, non *ANTONINI* dicti fuit Mira hæc omnia in eo viro, qui ex profeſſo de Imperatorum titulis ac dignitate commentabatur, qui priſca Nummorum Lapidumue monumenta debebat hîc ante omnia conſulere. In iis enim vidère potuiſſet

Bell. Ciuit. lib. 1.

Lib. IV. c. 68.

I. Cæſar Bulleng.

pro-

promiſcuè ab Imperatoribus poſt Auguſtum, id cognomen *AVGVSTI* adſumptum, ne Tiberio quidem excepto, de quo tamen Tranquillus refert, eum *AVGVSTI* nomen licet hæreditarium, nullis niſi ad Reges aut Dynaſtas Epiſtolis addidiſſe. At enim neque ſolùm *AVGVSTI FIL.* paſſim in eiuſdem Nummis deſcribitur, ſed aliquoties etiam *AVGVSTVS*, vt in aliquot nummis aureis, aliiſque *TI. DIVI F. AVGVSTVS*, vel *TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS*. Vnde præter alios Cæſares, à Flauiis, Nerua item, Traiano, Hadriano iā ante Antoninum Pium, & poſt Pertinacem, ab omnibus Antoninis aliiſque, ante & poſt Maximinum, paſſim receptum illius vſum deprehendas, neque diſiunctum ab Antonini nomine. Vtriuſque enim diuerſa hęc ratio; illud vice gentilis nominis Caracallæ, Elagabalo aliiſque vſurpatum, iſtud delatum vt hęreditarium ſupremi faſtigii cognomentum. Neque enim apud Dionem, Caligulam *AVGVSTI*: ſed *IVVENIS AVGVSTI* appellationem ſibi delatam, in contumelię argumentum vertiſſe, res ipſa, & eiuſdem Nummi cum Auguſti titulo ſatis probant. Ita neque Galbam & Traianum, ob adſumptum Cęſaris titulum, iuxta Tranquillum & Dionem, ideo altero *AVGVSTI* caruiſſe, ſignata vtriuſque in Nummis memoria ſinit du-

In Cimel. Card. Barber.

Lib. 59.

dubitare. Dilatum quidem illud *AVGVSTI* nomen, à Vitellio videas, vt tradit Tranquillus, nec longam tamen eius rei moram agnoſcas ex eiuſdem Nummis, qui ſine hoc titulo & cum eodem proſtant. Primus nempe hic honoris gradus electis Imperatoribus à Senatu deferri ſolitus; vt conſtat ex innumeris locis Hiſtoriæ Auguſtæ, & cum aliis Maieſtatis inſignibus, tum labente imperio, vſu peculiaris diadematis ab inferiori *CAESARVM* faſtigio diſtinctus. Perſpicuè hoc diſcrimen notat Ammianus, qui Iuliano Cæſare à militibus in nomen & dignitatem Auguſti adſumpto, loco diadematis fruſtra quæſiti, torquem capiti eius impoſitum refert, vt *coronatus ſaltem ſpeciem obſcuram haberet ſuperioris poteſtatis*. Ita Conſtantij parenti Conſtantini, adhuc Cæſari, diadema illi faſtigio peculiare tribuere videtur Euſebius. Vix tamen illud diſcrimen obſerues in illius aut reliquorum Cęſarum Nūmis, quos cū gemmatâ aut radiatâ coronâ, ante & poſt conſequutum nomen Auguſti, promiſcuè depictos videas. Ita Criſpum Nob. Cęſarē ornatū gemmato diademate contemplari licet apud Triſtanum, non aliter ac Parentem Conſtantinum. Promiſcuè verò eadem dignitas Auguſti in Nummis, cùm ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ, tum ΣΕΒΑϹΤΟΥ nominibus deſignatur; vt inſtar proprij Cæſa-

Lib. XX.

Lib. 1. c. 1. de Vit. Conſt.

Tom. III. p. 566.

rum nominis pateat retentam frequenter à Græcis Romanam appellationem. Vtramque etiam coniunxit non ſemel Euſebius, vt de Conſtantino agens, ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ *καὶ* ΣΕΒΑΣΤΟΣ *ἀνηγορεύετο*; & alibi de Filiis Conſtantini declaratis itidem Auguſtis, *Αὐτοκράτορες* ΑΥΓΟΥΣΤΟΙ, ΣΕΒΑΣΤΟΙ, *Βασιλεῖς ἀπεδείχθησαν*, & ita in Codice Iuſtiniani, *ἀεὶ* ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ, inter reliquos Imper. titulos. Neq; verò demum circa ea tempora vocem *Αὔγουςυ* à Græcis receptam, vt viſum quibuſdam eruditis, præter auctoritates alias, varia Hadriani & Antonij Pij numiſmata oſtendunt; cum eodem cognomine ΑΥΓΟΥΣΤΩΝ.

De vit. Cōſt. lib. 1. cap. 1.

IMPERATORIS nomen duplici ratione iiſdem Auguſtis tributum in Nummis videas. Primò vulgò Prænominis inſtar; pro dignitate illa, quâ ſupremum belli & pacis arbitrium in eos collatum, quo ſēſu *πολέμου καὶ εἰρήνης κύριοι* vocantur Dioni. Secundò vice Cognomenti, ob rem eorum auſpiciis bello præclarè geſtam, & proinde ob felices eiuſmodi ſucceſſus, ſæpius in iiſdem Nummis repetitum. Prius illud nouo more, I. Cæſari & filiis eius ac nepotibus, quibus tamen carebat, conceſſum, in Auguſto verò poſteà renouatum, nemo neſcit; vt Dictatorii aut Regii nominis inuidia ciuili vocabulo minueretur, vis tamen impe-

De titulo IMPERATORIS.

Lib. 42.

Dio lib. 43. & 52.

Lib. 52.

rii

rii penes eundem reſideret. Hinc verè proprii
nominis inſtar, iuxta Dionis obſeruationem, *Lib.43.*
liquet illud ab Auguſtis in eorum nummis
vſurpatum, non aliter ac eoſdem in litteris ad
declinandam inuidiam, non Reges ſed ΑΥ-
ΤΟΚΡΑΤΟΡΑΣ ſeſe indigitaſſe, docet alicubi
Syneſius. Alias Græcis Scriptoribus, citra am- *de Regno*
bages βασιλεῖς eoſdem vocatos noſti, & digni-
tatẽ illam Imperatoriam βασίλειαν, vt præ aliis
Herodianus agens de Seuero filios ſuos Impe-
ratores deſignante, τούς τε υἱεῖς αὐτοῦ κοινωνοὺς τῆς *Lib.III.*
βασιλείας καὶ αὐτοκράτορας ἀποδείξας. Hinc etiam
Μεγάλου Βασιλέως appellationẽ iiſdẽ quandoq;
à Scriptoribus tributã ſupra vidimus, & Diocle-
tianũ πρεσβύτερον βασιλέα ſeu ſeniorẽ Impera-
torem, ab Euſebio nuncupatum. Vnde liquet
errare paſſim Græcorum Scriptorum Inter-
pretes, qui βασιλεῖς & βασιλίδας, Reges & Re-
ginas vertunt, vbi de Romanorum Impera-
toribus vel Auguſtis viriuſque ſexus occur-
rit mentio, & ita lectorem incautum aliò tra-
ducunt; vt Interpres Philoſtrati, cui Ἰουλία Βα-
σιλὶς quædam *Iulia Regina* vocatur, quo nomi-
ne viro docto impoſuit, quę tamen non alia ibi
quam Iulia Auguſta Seueri coniunx. Hinc
Roma quoq; βασιλίδος vel βασιλευούσας πόλεως
nomine apud Herodianum, Euſebium, alioſq;
paſſim deſignatur; & in præclaris marmori-
bus nuper in vrbe effoſſis; ΕΝ ΤΗ ΒΑCΙ-

 ΛΙΔΙ

ΛΙΔΙ ΡΩΜΗ, de quibus alibi. Sciendum tamen, vtrumque cùm ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, tum ΒΑΣΙΛΕΩΣ vocabulũ, non cũ Auguſtis ſolùm, ſed cũ Cæſaribus etiã, ſeu deſignatis hęredibus nonnunquam communicatum. Prioris fidem facit Euſebius agens de Conſtantio adhuc Cæſare, in vita filii Conſtantini, cuius locum iam occupauit vir doctus. Poſteriorem apud eundem Auctorem obſeruo; vbi Conſtantinus ad Criſpum filium Nobiliſſimum Cæſarem ſcribens, παιδὶ Κρίσπῳ βασιλεῖ φιλανθρωποτάτῳ, *Filio Criſpo Cæſari clementiſſimo*, vt rectè hunc locum expreſſit Cl. Valeſius. Coniunctam alias ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ appellationem, à Tryphone Diodoto adſumptam, ſupra ex eiuſdem numiſmate vidimus, quam & Tigrani Armeno tribuit quoque illius Nummus. Illud verò inſuper circa hunc titulum Imperatorium, e Nummis obſeruandum. Primò neque Prænomen illud à I. Cæſare in nummis receptum, nec ab Auguſti ſucceſſoribus, Tiberio, Caio, Claudio etiam, niſi rarius in iiſdem admiſſum, vt de Tiberio & Claudio conſtat adſeruiſſe Suetonium, illos à Prænomine *IMPERATORIS* abſtinuiſſe. Certè in magna nummorum copia, qui ſuperſunt eorundem Principum, vix ſemel tributum illis videas. Vnde etiam eorum exemplo, neglectum liquet eundem titulum ab

Lib. 1. c. 1.

Euſeb. Hiſtor. l. X. c. 9.

aliis

alijs Cæſaribus, vt Seuero, Caracalla, Gallieno, aliiſque, quorum nummi frequentius carent eo prænomine, donec à Conſtantinopolitanis Imperatoribus omiſſum idem obſerues in Nummis. Secundò, idem non perpetuò Prænominis, ſed etiam vice Cognomenti, quandoque à prioribus Cæſaribus vſurpatum, vt ex plurimis Neronis, Galbæ, & Vitellij Nummis liquet, ſicut *SER GALBA IMP. CAES. AVG.* Tertiò, pro Prænomine non ab Auguſtis ſolùm, ſed etiam à M. Antonio Triumviro adſcitum, in aliquot eius Nummis, *IMP. ANTONIVS AVG.* quum alias in eiuſdem & Pompeij, Bruti, Caſſij, aliorumque denariis poſtponi ſoleat; in quibus nempe pro imperio militari, aut re feliciter geſta vſurpatur. *Poſterioris* verò huius appellationis vſum, petitum ex veteri more Reip. & acclamationibus militum, non aliunde certius quàm ex nummis aut lapidibus diſces, ita frequenter in iis repetitum legitur id cognomentum. De Auguſto id iam olim notauit Dio, cuius locus leui emendatione indiget, ἐκείνην γὰρ πολλάκις μὲν καὶ πρότερον πολλάκις καὶ ὕστερον ἀπ᾽ αὐτῶν ἔργων ἔλαβεν, ὥστε ἓν καὶ εἴκοσιν ὄνομα αὐτοκράτορος σχεῖν. *Hanc etiam* (Imperatoris appellationem) *ſæpius & antea & poſtmodum ex ipſis rebus à ſe geſtis reportauit, ſemel & vicies Imperator dictus.* Ita enim emendari & *Lib. 52.*

expli-

explicati debent illa verba leui traiectione, ὥστε ἓν καὶ εἴκοσιν, vt XXI. Imp. nomen retulerit non verò ἐν εἰκόσιν *vicies* vt male legit & vertit Xylander; peius autem vir doctus, illius corrector, qui de *imaginibus* Imperatoris verba illa in margine & in annotatis ad Dionem ſumenda contendit. Nec accedo eruditiſſimo Caſaubono, quem deprehendi poſtea ad Suetonium, legentem hoc loco ἐν εἴκοσι, vt ſubaudiatur vox ἔργοις paullo ante adſcripta, in viginti nempe *geſtis* aut victorijs. Perſpicuè cum Dione Tacitus, de eodem Auguſto verba faciens, *Annal.* 1. *Nomen Imperatoris ſemel atque vicies partum*, & cum vtroque Nummi, in quibus *IMP.* XXI. apud Occonem & Goltzium deſcriptus legitur, ne de veritate huius emendationis liceat dubitare. Ita & Caligulam Imperatorem XII. à militibus dictum & Titum *Lib.* 59. & 66 XV. in vtriuſque vita obſeruat Dio. Prior tamen in Nummis, *IMP. II.* vocatus tantum legitur, quod ideo factum crederem, quia ærea Caij numiſmata poſt eius mortem Senatusconſultò conflari iuſſa, vnde mutila hac in parte Caii in iiſdem hiſtoria. Poſterior verò non XV. ſolùm ſed *XVII. IMP.* in eiuſdem Nummis traditur. Parabant nempe Cęſaribus, vt notum, has crebras appellationes eorum præfecti; ita ut alios honores victoribus relinquerent, titulum Imperatoris Cæ-

ſar

ſar referret, ob res nempe ſuis auſpiciis geſtas. Hinc apud Dionem legas M. Craſſum deuictis Dacis, alia quidem proemia conſequutum, non autem eundem Imperatorem ſalutatum, ſed Auguſtum, quod aliter nonnulli tradiderant; & alibi M. Vinicium Auguſto idem nomen parauiſſe obſeruat. Blæſo tamen eandem Imperatoris appellationem relictam à Tiberio, Tacitus & Velleius tradunt, quod & aliis conceſſum nonnunquam ſubſequutis Cæſaribus, haud malè ex Appiano colligit Caſaubonus. Omnino verò notandum hoc loco, quod de more huius appellationis, idem auctor in Claudio tradidit; eum ob res in Britannia geſtas aliquoties Imperatorem ſalutatum, contra patrium morem, quo non ſæpius ſed ſemel tantùm id nomen poterat de vno bello reportari, αὐτοκράτωρ πολλάκις ἐπωνομάσθη παρὰ τὰ πάτρια, οὐ γὰρ ἔξεστιν ἐν οὐδενὶ, πλέον ἢ ἅπαξ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πολέμου τὴν ἐπίκλησιν ταύτην λαβεῖν. *Ob hac aliquoties IMPERATOR dictus eſt contra inſtitutum Romanorum, neque enim ſæpius quàm ſemel licet vno de bello id nomen adſumere*. Vnde intelligimus, quo titulo ac iure Imperator toties, nempe XXVII vocetur in Nummis Claudius, & inducti ab eo moris imitationem ad alios quoque tranſiiſſe.

Lib. 51.

Lib. 55.

Lib. 60.

PON-

De Titulo PONTIFICIS MAXIMI.

PONTIFICIS MAXIMI nota ex iiſdem Nummis appellatio, quâ ſupremam ſacrorum & religionum curam in ſe tranſtulerunt Cęſares. Hinc ab Auguſto ad Gratianum vſque Cęſarem, tranſiit vſus huius appellationis, vt docent lapides, & annotauit iam olim eminentiſſimus Annalium ſcriptor. Nonnulli verò ſerius eandem, vt à Iuſtino retentam volunt; cuius exſtat inſcriptio cum verbis *PONT. MAX*. in quibus tamen non Pontificem Maximum, ſed *PONTICVM MAXIMVM* legendum obſeruauit nuper doctiſſimus Reineſius. Coniuncta verò in Cęſarum Nummis Principatus & Sacerdotii iura, eâ ratione quâ quoſdam Duumviros & Sacerdotes vocatos legimus nonnunquam in priſcis monumentis. Tales nempe Sacerdotes Duumvirales in Codice Theodoſiano, & in Geſtis Cæciliani, Didymus quidam *SACERDOS* Iouis Opt. Max. & ſimul *DVV.MVIR* Colonię Carthaginenſium, quem locum adtulit ad Euſebium Cl. Valeſius. Vnde factum, vt Romanorum exemplo, nonniſi functos ſupremis Magiſtratibus, ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ ſeu Prouinciarum Sacerdotes creaſſe legatur Maximinus. Quare etiam iidem ΑΣΙΑΡΧΑΙ & ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ, ſeu *Aſiæ Principes & Pontifices* occurrunt, apud eoſdem Gentiles; vt cùm aliunde, tum ex aurea Epiſtola Smyrnęorum liquet de Po-

Euſeb. Hiſt. Eccl. l. VII c. 14.

Polycarpi Martyrio, in quo illud Sanctiſſimus Pręſul paſſus legitur ἐπὶ Ἀρχιερέως Φιλίππου, quem paullo ante Ἀσιάρχην eadem vocat, ne de muneris communione poſſis dubitare. Egregiè verò id illuſtrant præſtantiores aliquot Græcorum Nummi, qui ſicut aliâs Pontificiâ Cæſarum dignitate, ita illo Aſiarchæ aut Pontificis nomine nonnunquam ſignantur. Poſteriorem præfert Nummus Cianorum Vrbis Bithyniæ, ΕΠΙ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΚΛΑΥ ΒΙΑΝΤΟΣ ΚΙΑ. *Sub Pontifice Claudio Biante Cianorum*. Ita alius nummus æreus maximus Laodicenſium, CA. ΕΥΤΥΧΟΥΣ ΑΡΧΙΕ. ΓΙ ΠΟΛ. *Samio Eutyche Pontifice XIII. Ciuitatum*, vt pateat hunc ſupremum fuiſſe Sacerdotem Aſiæ Ciuitatum, ac proinde iis adſcribendum, qui plures ἱερεῖς ſeu Flamines ſub ſe habebant obnoxios. Accedit his alius Apameæ Syriæ percuſſus; ΕΠ. Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΩΝ; *ſub M. Aurelio Alexandro Pontifice Apamenſium*. Præter verò præclaros hos Nummos ineditos, referri huc etiam debet inſcriptio alterius Nummi Hephæſtionis Pontificis Daldianorum, quam videre licet apud Triſtanum. Ita haud abſimili ratione ΑΣΙΑΡΧΟΥ mentio aliquotiens in geminis nummis, vt Cyzicenorum ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩΝ, ΕΠΙ Μ. Λ. ΑΥΡΗΛΙΟΥ ΑCΙΑΡΧΟΥ *Cyzicenorum Neocoron ſub M. Lucio Aurelio Aſiarcha*. Sic alius

In Theſ. Magni Ducis.

In Theſauro Reginæ Sued.

Hh Smyr-

Smyrnæorum , ΕΠΙ Μ. ΑΥΡ. ΤΕΡΤΙΟΥ ΑCΙΑΡΧΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑCΙΑC. *ſub M. Aurelio Tertio Aſiarcha Smyrnæorum Primorum Aſiæ.* Agnoſcis opinor hic apertum cùm reliquorum, tum Nummi & Epiſtolæ Smyrnæorum conſenſum, Aſiarcharum nempe ac Pontificum nominibus, vt ſupremis quibuſdam loci Præſidibus, ſignatam rei geſtæ memoriam ; ſicut aliâs nominibus Conſulum apud Romanos , aut Cæſarum eorumdemque Pont. Max. Ita in Marmoribus Arundellianis ; in inſcriptione denariorum Gymnaſii eiuſdem Vrbis, Cherſyphon quidam ΑCΙΑΡΧΗΣ vocatur. Iidem nempe apud Aſiaticos, cùm Ludorum & publici Concilij totius prouinciæ, tum reliquorum Flaminum principes habebantur. Vnde lux etiam non mediocris accedit celebri Actorum *Cap XIX. 31* loco, vbi occurrit Aſiarcharum apud Epheſios mentio. Liquet enim ex monumentis modo adlatis, Aſiarchas id genus non Epheſi ſolùm, vt exiſtimarunt nonnulli, ſed modò Cyzici, modò Smyrnæ, modò alibi ſedem habuiſſe; vbi nempe communia Aſiæ ſacra & publici conuentus habebantur, quibus præerant illi Aſiarchæ. Secundò, vnum videri Aſiarcham hoc munus eodem tempore ſuſtinuiſſe, quamuis plurium ſimul Aſiarcharum mentio eodem Actorum loco, & tertium aut

quar-

quartum Aſiarcham electum ſe tradat alicubi *Orat. IV.* Ariſtides. Firmant nempe hîc Nummi, eandem Cl. Valeſii ſententiam, quam ex commemorato vno Philippo Aſiarcha in Polycarpi martyrio iam ad Euſebium tradidit. Adeò tamen vt ſtatuendum ſit omnino, aut per vices hoc munus impleuiſſe, aut vnum Aſiarcham vt reliquorum Principem conſtitutum, à quo petita ſit Faſtorum, aut rei geſtæ memoria. Ita primi ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ in antiquis Nummis non ſemel ſignati, vt Cebeſſi vrbis Lyciæ *In Theſauro Magni Ducis.* ΕΠΙ ΑΥΡ. ΜΑΡΚΟΥ ΑΡΧΙ. ΠΡΩ. ΚΗΒΗ ΕCΙΚΩΝ. Tertiò, non audiendum hîc Auguſtum Interpretem, Conſtantinum Porphyrogennetem, qui Aſiarcham Aſiæ Proconſulem *Them. Imp. Orient. p. 19.* interpretatur, & hanc ſuam explicationem firmat hoc ipſo Actorum loco. Neque enim aut alibi, aut in productis Nummis Aſiarcha, ibi vt Romanus Proconſul, ſed vt Præſes publici Aſiæ conuentus, & communium ſacrorum producitur. Hinc in veteri Inſcriptione, quam nondum excuſſerunt viri docti, Antonius quidam Hyacinthus ΤΗC ΑCΙΑC *Theſ. Gruter p. 522. 1.* CΤΡΑΤΗΓΟC ΑCΙΑΡΧΗC vocatur, vt eoſdem habuerint Aſiatici, & Magiſtratus pręcipuos, & ſolennium Gentis ſacrorum Antiſtites. Vnde facile adſequimur, cur ἀρχῆς & ἐπαρχίας apud Græcos, & *Præſidis* ac *Præfecturæ* nomine apud veteres Iuriſconſultos eadem

Aſiarcharum & ſupremorum Sacerdotum dignitas ſignetur. Ita nempe coniuncta in ijs occurrũt munia Principatus & Sacerdotij, vt ijdẽ illi Principes dicti & Sacerdotes, non obſcuram Pontificiæ Cæſarum dignitatis imaginem præbeant, de quibus illo ſenſu Tacitus, *Nunc Deum munere ſummum Pontificem, etiam ſummum hominum eſſe*. Illud tamen diſcrimen hîc obſerues, quod non perpetua erat Aſiarcharum, vt apud Romanos Pontificis Maximi dignitas, quam perpetuam Cæſaribus nummi largiuntur, nec in ijs proinde renouari videas, inſtar Conſulatus, aut Tribunitiæ Poteſtatis. Notum quippe hoc Sacerdotium fuiſſe ex eorum numero, quæ non annua erant, aut ſingulis vel quinquennjis, vel decenniis, vt reliqua Auguſti imperia renouabantur, ſed διὰ βίου, vt Græci eadem vocare ſolent. Vnde quoque in Auguſti Numiſmatibus ſerius *PONT. MAX.* titulus eidem adſcribitur, quod mortuo demum Lepido hanc ſuſceperit dignitatem. Ita factum vt exemplo perpetui huius Pontificatus, alia quoque Sacerdotum Collegia apud Romanos Pontifices ſuos crearent, διὰ βίου. Tales præter alios, illi ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ ΔΙΑΒΙΟΥ, ſeu Palæſtræ Pontifices, quorum cùm alibi mentio, tum in Inſcriptionibus Athleticis Romæ non ita pridem repertis in ruinis Thermarum Titi. Vnde luculentam

Annal. III.

tam

tam ex ijs, ad ipſum lapidem à me nuper cum geminis deſcriptam, non pigebit hîc adferre, Η ΙΕΡΑ ΞΥϹΤΙΚΗ ϹΥΝΟΔΟϹ ΤΩΝ ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΗΡΑΚΛΕΑ ΑΠΟΚΑΤΑΛΥ ϹΕωϹ ΕΝ ΤΗ ΒΑϹΙΛΙΔΙ ΡωΜΗ ΚΑΤΟΙ ΚΟΥΝΓωΝ Μ. ΟΥΛΠΙΟΝ ΔΟΜΕϹΤΙ ΚΟΝ ΔΙΑΒΙΟΥ ΞΥϹΤΑΡΧΗΝ ΚΑΙ ΑΡ ΧΙΕΡΕΑ ΤΟΥ ϹΥΜΠΑΝΤΟϹ ΞΥϹΤΟΥ ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΗΝ ΠΑΛΑΔΟΞΟΝ ΕΠΙ ΒΑΛΑΝΕΙωΝ ϹΕΒΑϹΤΟΥ ΤΟΝ ΕΑΥ ΤωΝ ΠΡΟϹΤΑΤΗΝ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝ ΠΡΕ ϹΒΥϹΑΝΤΑ ΚΑΙ ΑΙΤΗϹΑΜΕΝΟΝ ΤΟ ΤΕΜΕΝΟϹ Τω ϹΥΜΠΑΝΤΙ ΞΥ ϹΤω ΤΗΝ ΤΕΙΜΗΝ ΑΝΑΘΕΝΤΟϹ Μ. ΜΕΤΤΙΟΥ ΑΜΕΡΙΜΝΟΥ ΕΠΙ ΑΡ ΧΟΝΤωΝ Λ. ΟΥΑΝΝΙΟΥ ΑΓΡΙΠΠΙΑ ΝΟΥ ΚΑΙ Μ. ΜΕΤΤΙΟΥ ΑΜΕΡΙΜΝΟΥ Dedicatum fuit nempe Hadriani temporibus præclarum hoc monumentum, vt eruo ex geminâ Inſcr. apud Gruterum, in quâ itidem occurrit mentio huius M. Vlpij Domeſtici & Legationis illius ad Hadrianum, nomine Collegij Athletarum ſuſceptæ; quæ inſcriptio edita miram ex iſta lucem fœneratur. Sed de his alibi, ad has ipſas Inſcriptiones. Vnum hîc notandum, hunc Domeſticum vniuerſæ Palæſtræ Xyſtarcham ſimul & ΑΡΧΙΕΡΕΑ perpetuum vocari, ex eo nempe genere, quos proinde *Sacerdotales Præſides* à Tertulliano di-

Theſ. Inſcr. p. 315. 9. & 316. 1.

De Spectacul. ctos obſeruo; *Quid ergo mirum ſi apparatus agonum Idololatria conſpurcat de coronis profanis, de SACERDOTALIBVS PRAESIDIBVS, de Collegiatis Miniſtris.* Sicut verò Ἀρχιερέα διαβίου hoc loco ſeu *Pōtificē perpetuū*, ita ΙΕΡΕΑ ΔΙΑ ΒΙΟΥ, ſeu Flaminem perpetuum videas in Nummo, quem edidit iam olim Sirmondus; vt nempe ad illos reſpexerit, qui *Flàmines perpetui* vocantur in Codice Theodoſiano. Nec

Lib. de Machab. abſimili ratione Ioſephus Oniam Hæbreorum Pontificem vocat ἀρχιερωσύνην ἔχοντα διαβίου *Pontificatum habentem perpetuum*, aut alibi Herodem Perpetuum Agonothetem ab

Orig.lib.XVI 1. 9. Olympijs ſcribit declaratum. Immo nec perpetuam ſolùm in eodem Auguſto, ſed hęreditariam etiam Pontificiam dignitatem reliquorum Cæſarum Nummi ſatis arguunt, cuius rei gemina exempla ſuppeditant nonnunquam

Lib.44. priſca Gentilium monumenta. Vnde haud malè apud Dionem, inter honores à Senatu I. Cæſari decretos, ille etiam refertur, vt filius eius, qui naſceretur, aut adoptiuus, euaderet Pontifex Maximus; qui honos certè ad Hęredes eius & Succeſſores tranſiit. Ita in altera Inſcriptione Gręcâ cum priori reperta, Claudius quidam Rufus, ſucceſſor declaratur proprij Parentis in eodem munere Pontificis vniuerſę Palęſtræ, non aliter ac apud Philoſtratum Scopelianus quidã traditur Hebręorum more

oriun-

oriundus ex Sacerdotali genere, & hæreditarius ſupremus Aſiæ Pontifex; ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ μὲν ἐγένετο τῆς Ἀσίας αὐτός τε καὶ πρόγονοι αὐτοῦ, παῖς ἐκ πατρὸς πάντες. *Pontifex verò fuit Aſiæ ipſe & illius Maiores omnes à patre ad filium.* Nec omittendum hoc loco, vbi ſimul plures Auguſti regnabant, penes vnum & ſeniorem quidem, hanc Pontificatus Maximi appellationem reſediſſe apud Romanos, vt ſupra ex Dione notauimus. Id verò rurſus perſpicuè probant Nummi, in quibus M. Aurelius *PONT. MAX.* vocatur, non autem Collega eius L. Verus. Aliâs inferior quoque *PONTIFICIS* dignitas, vt initium quoddam illius faſtigij, cum aliis titulis in aliquot Getę nummis ſignatur, vt ſupra monui. Omiſſa verò cum pleriſque aliis mentio huius dignitatis, à Gallieni temporibus, in ſequentium Auguſtorum nummis. Neque verò titulum illius dignitatis ſolùm geſtaſſe; ſed munia etiam peregiſſe Cæſares, docent nonnunquam Auctores, vt de Hadriano Spartianus; *Sacra Romanorum diligentiſſimè curauit, peregrina contempſit, PONTIFICIS MAXIMI Officium peregit.* Sicuti verò ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ vel ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ ΜΕΓΙΣΤΟΙ in Græcis Cæſarum Nummis & Lapidibus vocantur, ita etiam Veſtalium Maxima, Ἀρχιέρεια apud Dionem dicitur.

In Vitis Sophiſt.

Lib.79.

DE

De Titulo TRIBVNITIAE POTESTATIS.

DE TRIBVNITIA POTESTATE ſupra vidimus, quâ vt ſummi faſtigij vocabulo, annos principatus paſſim in Nummis Cęſarum diſtinctos noſti. Vt manifeſtè ij demum arguant, quàm verè à Dione ſit adſertum, iuxta eandem imperij ſui annos à Cæſaribus numerari. Perpetuam nempe illam Poteſtatem ſemel ſuſceptam gerebant Cæſares, ita tamen vt quotannis eandem cum Tribunisplebis renouarent, ſicut cùm Dionis auctoritas, tum Nummorum conſpectus probat; Adeo vt nec Tiberium, cui ad quinquennium delatam illam ſcribit Suetonius; abſtinuiſſe ab eadem in ſingulos illius annos quinquennij & ſequentium etiam renouandâ, ex iiſdem conſtet, contra quàm viris doctis placuit. De Veſpaſiano obſeruat idem Suetonius, ſerò eundem Tribunitiam Poteſtatem recepiſſe, quod adhuc hodie ex illius Nummis colligas. Communicatam verò ab Auguſtis eandem dignitatem cum deſignatis Cæſaribus, quod tradunt nonnunquam Scriptores, ex Aelij, Aurelij, aliorumque Nummis obſerues, in quibus *L. AELIVS CAESAR TRIB. POT. COS. II. & AVRELIVS AVG. PII F. CAESAR TRIB. POT. COS. II.* Vnde illud etiam eruas, annos Tribunitiæ Poteſtatis in iiſdem Nummis non ab imperij exordiis, ſed ab initio illius faſtigij ſigna-

ſignatos, ita Tiberio, Neroni, Commodo, alijſque longè plures anni Tribunitiæ Poteſtatis, quàm Imperii tribuantur. Adſumptum autem illud à Cæſaribus nomen, non Tribunorum Plebis, ex more illorum temporum, quibus Poteſtas Tribunitia, Cenſoria, Conſularis, pro dignitate Tribuniplebis, Cenſoris, Conſulis reperta; quarum prima ſignatur paſſim in Nummis Auguſtorum, altera in Nummis Domitiani. Hinc etiam diſcrimen huius Tribunitiæ Poteſtatis & Tribunorum plebis obſerues. Primò, quod illa *Patritiorum*, quales neceſſe erat creari aut fieri Cæſares, hæc Plebeius eſſet Magiſtratus, ad quem tamen Equites admiſſos ab Auguſto alicubi tradit Dio. Secundò, quod prior imperia omnia præemineret, vt ſupra ex Tacito vidimus, hi non item. Tertiò, quod in illa etiam intra primum ab Vrbe miliare præſidium haberent opis illius indigi, in Tribunisplebis autem tantùm intra vrbis pomoeria. Aliâs vi illius Poteſtatis tria maximè Auguſtis competebant, quorum duo obſeruat Dio; Ius intercedendi ampliſſimum; alterum vt eſſent ſacroſanċti, vnde I. Cæſar interfectus Appiano & alibi Dioni ὁ ἱερὸς καὶ ἄσυλος vocatur; quibus quartò accedit Senatus cogendi facultas, Vnde Tiberius apud Tacitum non ſemel legitur, ſolo *TRIBVNITIAE POTESTATIS* edicto

Lib. 54.

Dio lib. 51.

Lib. 53.

Lib. 44.

Patres in Curiam vocaſſe & in eadem verba Tranquillus, *Iure autem Tribunitiæ Poteſtatis coacto Senatu*. Aliàs ampliata eadem facultas in Auguſto, peculiari Senatus decreto, vt quoties vellet Senatum conuocaret, quod iam occupauit ad Suetonium Caſaubonus.

Annal. lib. VII.

Dio. l.54.

De Titulo CONSVLIS ſuſcepti ab Imperatoribus.

CONSVLVM etiam pro arbitrio vſurpatum ab Auguſtis faſtigium, in eorundem Nummis expreſſum legitur. Origo autem illius moris à Sylla profecta, qui Dictaturæ Conſulatum quoque præter morem adiecit. Vnde factum obſeruat Appianus, vt Romanorum Cæſares Imperatoris faſtigio, Conſulatus quoque adderent dignitatem. Immo quum florente adhuc Rep. Pompeius Conſul ſine Collega nouo exemplo fuiſſet renuntiatus, inde etiam hoc Cæſaribus tributum liquet, vt ſoli Conſules nonnunquam deſignarentur. Ita omnia reperias Imperatoriæ dignitatis incunabula, in liberæ, ſed inclinantis iam Reip. ſub vnius arbitrium, inductis nouo more exemplis. Neque perpetuum tamen eundem Conſulatum præter Faſtos, iidem Nummi arguunt; qualem Scipioni olim, ſed recuſanti delatum ſcribit Valerius. Vnde quum I. Cæſari Conſulatus continuus eſſet decretus, aut iuxta Dionem ad Decennium, quartum tantum Conſulatum admiſiſſe dicitur à Suetonio; quem tamen refellit nummi inſcriptio apud

Bell. Ciuil. lib. I.

Lib. IV. cap. I.

apud Goltzium (modò illi fides conſtet) *C. CAESAR COS. QVINCT IMP. SEXT. DICT. PERPETVO*. Ita *XIII*. Conſulatus Auguſto illius Nummi cum Tranquillo, non *XIV*. cum Tacito, & rurſus Tiberio V. non *III* cum Tranquillo, eadem monumenta adiudicant. Vitellio tamen perpetuum Conſulatum tribuit vetus lapis, cuius rei index quoque nummi inſcr. apud Goltzium *A VITELLIVS L. F. IMPERATOR COS. PERP.* Aliâs eodem honore licet ſæpius repetito, ad paucos vel menſes, vel dies, vel horas etiam contenti eius ſucceſſores, mox ad alios illum transferri curabant. Exemplum illius moris inuexit Auguſtus, quò ad plures Conſulatus perueniret. Vnde factum etiam, vt rurſus invaluerit nata iam ſub I. Cęſare celebris illa Cõſulum ordinariorum & ſuffectorum origo, & à temporibus Claudii, Auguſti bimeſtres vt plurimùm Conſules pro annuis euaſerint. Duo nempe hîc mutata ſub Cæſaribus, vnum vt Conſulatum ante tempus deponerent; alterum vt abſentes eundem ſuſciperent; quorum poſtremum de Auguſto notat Tranquillus. Quare etiam, ne extra Conſulatum, deeſſent eidem Auguſto & ſucceſſoribus Conſulis prærogatiuæ, duo iterum ſub eodem inducta reperio; Vnum vt Conſularis poteſtas perpetua cum iure *XII* faſcium illi deferretur.

Dio lib. 53.

Dio lib. 54.

Idem lib. 53 Alterum, vt extra Conſulatum, ius nihilominus haberet Relationis, quod Conſulum alias proprium iuxta Dionem, & poſtea inter ſolitos Cæſarum honores receptum.

De Titulo PROCONSVLIS à Cæſaribus admiſſi.

Neque verò à geſto Conſulatu PROCONSVLES dictos eoſdem Cęſares noſti, vt quibuſdam tamen placuit, ſed ob Proconſulare imperium cum reliquis Maieſtatis inſignibus iiſdem conceſſum, vt obſeruarunt iam eruditi. In Nummis autem Cæſarum eundem *PROCONSVLIS* titulum non videas expreſſum; qui illis alias & in ſaxis aliquot, & in nonullis litterarum inſcriptionibus, & aliquoties apud Auctores Hiſtoriæ Auguſtæ tribuitur. Miratur verò non leuiter Caſaubonus hoc nummorum, aliorumque ſilentium, nec cauſam adſequi ſeſe profitetur, cur præterita ſit eadem Cæſarum dignitas in pleriſque monumentis priſci æui, quum Tribunitiæ Poteſtatis conſtans occurrat mentio; quarum vtraque tamen ex æquo Cæſaribus competebat. Rationem autem eius vel ſilentii, vel diuerſitatis inde petendam crederem; Primò, quod non ſemper, aut in vrbe, ſed extra pomœrium tantùm, Proconſulis titulum ſuſciperent Imperatores. Diſertè id apud

Lib. 53. Dionem expreſſum lego; ὕπατοί τε γὰρ πλεισάκις γίγνονται, καὶ ἀνθύπατοι ἀεὶ, ὁσάκις ἂν ἔξω τοῦ πωμηρίου ὦσιν, ὀνομάζονται, *Conſules enim fiunt*

ſæpe

ſæpe numero , & quoties EXTRA pomœrium ſunt PROCONSVLES dicuntur . Hinc Elagabalus apud Dionem, imperium in Syria ſuſcipiens , inter reliquos titulos Proconſulis quoque nomen adſumpſit , procul nempe ab Vrbis pomœrio poſitus. Vnde quum non eadem eſſet huius tituli , quæ Tribunitiæ Poteſtatis , aut aliorum ratio , inde in Nummis Cæſarum omiſſa illius ſignificatio , quam ijſdem tamen tribuunt nonnullæ Corporum & Collegiorum Inſcriptiones . Secundò , quod hæc poteſtas Proconſularis , infra aliarum faſtigium cenſeretur , quæ in Nummis occurrunt expreſſæ ; vnde nec *PRINCIPIS SENATVS* , (quem titulum præter Auguſtum,à Tiberio cum Cæſaris & Germanici appellationibus adſumptum tradit Dio ,) nec de Iure Relationis,alio appendice principalis faſtigij , vllam in iiſdem mentionem reperias. Neque enim omnibus , ſed præcipuis appellationibus ſuperioris poreſtatis , & iam olim , & hodie Nummi Principum ſignari conſueuerunt . Hinc reliquis etiam titulis Imperatoris, Cæſaris , Auguſti , Pontificis Maximi, Tribunitiæ Poteſtatis, *PROCONSVLEM* poſtponi paſſim videas in priſcis Inſcriptionibus , & in litteris Galerii Maximini apud Euſebium , Adeò , vt nec expreſſum eundem reperias in antiquis Cæſarum Marmoribus , ante Neruæ

Lib.57.

Hiſtor.Eccleſ. lib.IX.

& ſe-

& ſequentia Antoninorum tempora, vbi plenior quædam refertur honorum & titulorum congeries, quamuis iam ante Proconſulare illud imperium Auguſto tributum conſtet ex Dione, & Neroni ex Tacito. Neruæ certè & Aelio Cæſari adſcribunt etiam hunc titulum Marmora, vt pateat errare Cl. Salmaſium, qui in Antoninis hunc primò credit reperiſſe. Tota nempe aut certè præcipua vis huius poteſtatis in Imperatoris vocabulo iam erat repoſita, cuius auſpiciis reliqui præfecti bella ſuſcipiebant, et quo nomine ſupremum peregrinarum iuxta & Vrbanarum rerum arbitrium, omniaque Magiſtratuum iura in eos tranſlata apertè docet Dio. Additus tamen opportunè, vt iudico, & peculiari de cauſa, in gratiam Auguſti *PROCONSVLIS* titulus. Diuiſus nempe ab eo fuerat Orbis Romanus in Prouincias Cæſaris & Populi, quorum poſtremis Populi Magiſtratus Proconſules præerant. Vnde vt nihilominus eius auſpiciis omnes illas Prouincias ex æquo adminiſtrari ſingularum Præſides facilius intelligerent, nec vllas partes orbis Romani imperio illius exemptas, translata illa *PROCONSVLIS* aut *IVRIS PROCONSVLARIS* ad eundem Auguſtum & ſucceſſores nomenclatio. Neque ad eam tamen referri debet ille Zonaræ locus de Auguſto, τὴν ὑπάτων τιμὴν διὰ βίου ἔλα-

βε

Theſ. Grut. p. 145. & 251.

Lib. 53.

Digitized by Google

βε, vt malè obſeruat vir doctus, ſed ad perpetuam Conſularem poteſtatem Auguſto delatam, vt ſupra ex Dione vidimus. Aliâs eandem dignitatem candidatis imperij, aliiſque arbitris ſupremæ poteſtatis, frequenter conceſſam apud *A*uctores legimus; ſicut à Tiberio ad Germanicum, dein ad Seianum, à Claudio ad Neronem, ab Hadriano ad Antoninum, & ab eodem Antonino ad M. Aurelium; ita ut inter Cæſarum tyrocinia eandem quoque dignitatem reponendam conſtet. Quæ vis autem huius imperii fuerit, perſpicuè deſignat meo iudicio Tacitus; *Tunc decreto Patrum permiſſæ Germanico Prouinciæ, quæ mari diuiduntur MAIVSQVE imperium, quàm his qui ſorte aut permiſſu Principis eas obtinebant*. Illud nempe nihil aliud quàm id Proconſulare Imperium, quale Auguſto delatum iiſdem verbis deſcribit Dio; ἐν δὲ τῷ ὑπηκόῳ τὸ πλεῖον τῶν ἑκασταχόθι ἀρχόντων ἰσχύειν ἐπέτρεψε vt *MAIOR ipſi in Prouincijs, quàm eorum Præfectis poteſtas eſſet*. Ita ampliata paulatim hæc poteſtas, quæ iam ante in M. Antonio *P*rætore reperta, in Pompeio renouata lege Gabinia, quâ permiſſum ei ad quinquennium, iuxta Dionem, Proconſulare imperium in omni orbe Romano, & vt à Velleio deſcribitur *imperium æquum in omnibus prouincijs cum Proconſulibus vſque ad quinquageſimum miliarium a mari*

I. C. Buleng. de Imp. Rom. li. 1. c. 16.

Annal. lib. 2.

Lib. 53.

Vell. Patercul. lib. 2.

mari , quo Senatusconſulto penè totius terrarum orbis Imperium vni viro deferebatur : Vnde dignitatis huius memoriam, Pompeii eiuſdem Nummi cum *PROCOS.* titulo ſeruarunt; vt originem iterum & exempla huius Auguſtorum faſtigij in ipſa Republica obſerues. Aliàs aucta eadem poteſtas in Cæſaribus; cuius tres obſeruo prærogatiuas. Primò, quod non æqua ſed Maior illis, quàm Præſidibus Prouinciarum poteſtas in eaſdem cederet. Secundò, quod non ad certum tempus, ſed perpetua illis deferretur, nec deponi proinde intra pomœrium, aut renouari eandem opus eſſet, vt obſeruat Dio, qui alibi docet Proconſulare imperium gerenti, in vrbem venire non licuiſſe. Imperium itaque illud Proconſulare Cæſaribus perpetuum intra & extra pomœria; vſus autem appellationis *PROCONSVLIS*, extra pomœria ſolitus ab ijs vſurpari; quorum vtrumque apertè diuerſis licet locis tradidit Dio. Tertiò, quod citra certos maris aut terrarum limites, Cæſaribus in toto Orbe Romano ius illud deferretur. Nihil quippe aliud, vt iam monui, illo ſeu iure ſeu imperio Proconſulari quæſitum, quàm vt æquum vel ſupremum Cæſaribus in omnes prouincias Cæſaris & Populi imperium, ipſo nomine traderetur. Et hæc obiter de illo titulo Proconſulis à Cæſaribus admiſſi, quem non ſatis hacte-

Lib. 53.
Lib. 39.

hactenus expenderant viri docti, & cuius nobis occaſionem Cl. Caſauboni dubium & ſollicitudo circa Nummorum ſilentium ſuppeditauit.

Frequens verò in ijſdem Nummis PATRIS PATRIAE appellatio, quam Ciceroni primùm tributam, & dein ad Cæſares translatam, obſeruat Appianus. Mitto obuiam eiuſdem rationem à Dione indicatam, qui non vt poteſtatis, ſed honoris & cautelæ vocabulum iiſdem impoſitum docet; vt meminerint ſubditos Patriâ caritate diligere, & ſubditi viciſſim eoſdem debitâ liberis reuerentiâ proſequi. Illud verò magis hîc ad rem facit, quod notat inſuper Appianus, ſerius eam reliquis appellationibus concedi ſolitam, & nonniſi poſt præuia magnarum rerum experimenta. Hinc videas eandem in priſcis monumentis Hiſtoriæ Auguſtæ, vt ſummum quaſi honorum apicem, neque ſtatim, neque promiſcuè Cæſaribus conceſſam; quæ diſcrimina demum, ex eorum Nummis intelligas. Ita I. Cæſari (à quo mos illius cognomenti ad ſucceſſores tranſiit) poſt mortem primum delatum exiſtimarunt viri docti, ob columnam illi defuncto ab Antonio erectam, cum inſcr. *PARENS PATRIAE*, quam alicubi ſugillat Tullius. Verùm non repertum tum primùm, ſed renouatum hoc eius cogno-

De Titulo PATRIS PATRIAE.

Bell.Ciuil. lib. 2. *Lib.* 53.

Sueton.in Iul. Cæſ.lib. XII. Ep. ad Caſſ. 44.

KK men-

mentum, præter Dionem aut Tranquillum, Nummi id ſatis refellunt, eodem viuo percuſſi, in quibus *CAESAR PARENS PATRIAE* vocatur. De tempore eiuſdem appellationis Auguſto conceſſæ, maior inter eruditos controuerſia, de quâ paulio infra. De Tiberio, cognomen illud conſtanter eum recuſaſſe Dio & Suetonius tradũt, ac eiuſdem Nummi fidem faciunt, qui carent hoc titulo. A Nerone idem ſub initium principatus, propter ætatem reiectum auctor idem Tranquillus, ita tamen vt breui poſt receptum conſtet ex eiuſdem Nummis, qui primis imperij annis percuſſi, eundem cum reliquis ſignant. A Veſpaſiano eandem appellationem cum Tribunitia Poteſtate ſerius admiſſam, auctor idem Tranquillus. De poſteriori vidimus; priorem autem ſecundo imperij anno iam ab eo ſuſceptam in eiuſdem Nummis agnoſcas. De Hadriano etiam refert Spartianus, Patris Patriæ delatum ſibi nomen ſtatim atque iterum diſtuliſſe, quod hoc nomen Auguſtus ſerò meruiſſet. Hanc tamen moram breuem fuiſſe, rectè ex eiuſdem Nummis collegit Cl. Caſaubonus; qui nempe primo eius Conſulatu percuſſi illius cognomenti meminêre. Sciendum tamen, plurimos extare eiuſdem Nummos, cum ſola Inſcriptione *HADRIANVS AVGVSTVS*, & memoriâ

Con-

Conſulatus, vt vel hinc *iterum* hoc nomen illum *diſtuliſſe*, rectè cum Spartiano colligas. De Pertinace verò, vt ſingulare obſeruat Capitolinus, quod primus eadem die Auguſtus & Pater Patriæ ſit renuntiatus; quod de Alexandro Seuero, & reliquâ honorum congerie annotauit Lampridius. Vbi obſeruandum obiter, non tam ratione aut deſtinato conſilio, quàm impetu & acclamationibus Populi aut Senatus, appellationes id genus frequenter conceſſas. Ita eodem ritu quo Romulus olim Parens vrbis à multitudine declaratus legitur apud Liuium, ſic à Populo I. Cæſarem *PARENTEM PATRIAE* legas apud Dionem proclamatum, ne magis Ciceronis cum Appiano, quàm eiuſdem Romuli exemplo, cognomen illud Cæſaribus tributum cenſeas. Aliâs iam olim Cyrum ΠΑΤΕΡΑ ΑΝΘΡΩΠΩΝ dictum obſeruat Pauſanias, & eandem etiam appellationem Antoninum Pium Cæſarem meruiſſe, δοξη δὲ ἐμῆ καὶ τὸ ὄνομα τὸ τοῦ Κύρου φέροιτο ἂν τοῦ πρεσβυτέρου ΠΑΤΗΡ ΑΝΘΡΩΠΩΝ καλούμενος. *Mea verò ſententia Cyri ſenioris nomine inſigniri meruiſſet, vt nempe PATER HOMINVM diceretur.* Quo nomine dicam illi ſcribit vir doctiſſimus ad Capitolinum, quaſi oblitus ſit Pauſanias, decreto Senatus *PATREM PATRIAE* appellatum eundem Antoni- *In Arcadicis.*

num, & ita occupatum ſit à Senatu, quod ipſe decernendum inſinuat. At quis non abſoluendum hîc videt ab omni cenſura Pauſaniam, quum non eadem ſit *PATRIS PATRIAE* & *PATRIS HOMINVM* appellatio; prior anguſtior, nec ſoli Antonino Pio, ſed promiſcuè Cæſaribus communis, vt vel eorundem Nummi arguunt; poſterior Ioui Deorum hominumque parenti propria, & Cyro peculiaris. Quod ipſum & res arguit, & confirmat egregiè Themiſtius, qui mirè Pauſaniæ locum & mentem illuſtrat. Ille enim

Orat. V. vbi Cyrum *PATREM*, alios Perſarum Reges variis nominibus diſtinctos commemoraſſet, addit, θεία δὲ μόνη ἡ τοῦ πατρὸς ἐπωνυμία, ΠΑΤΕΡΑ γὰρ ΑΝΘΡΩΠΩΝ καὶ τὸν Δία οἱ ποιηταὶ ἐπονομάζουσι. *Sola verò ex iis diuina eſt Parentis appellatio PATREM enim HOMINVM & Iouem ipſum Poetæ appellarunt.* Ita voluiſſet hoc loco Pauſanias, Antoninum non *PIVM* ſolùm, aut *PATREM PATRIAE*, quod vſu iam tritum, & inferius eius φιλανθρωπία, ſed *PATREM HOMINVM*, Iouis aut Cyri exemplo appellari. Sic in eundem ſenſum de Auguſto loquentem videas Ouidium,

Faſt. lib. 1. *Salue PATER PATRIAE tibi Plebs, tibi Curia nomen*
Hoc dedit, hoc dedimus, nos tibi nomen Eques;

Res

Res tamen ante dedit, ſerò quoque vera tuliſti
Nomina, iã dudũ tu PATER ORBIS eras.
Id verò Cognomen *PATRIS ORBIS*, quod meruiſſe pridem Auguſtum tradit Poeta, geſtaſſe demum videmus, illius coniugem Liuiam, quæ in Nummis *GENETRIX ORBIS* vocatur. Hinc natæ illæ propriæ Cæſarum appellationes in eorum Nummis, & reliquis monumentis, non ſolùm *PATRIS PATRIAE*, ſed præterea *PATRIS CASTRORVM*, *PATRIS EXERCITVVM*, quæ vt ſummi faſtigij vocabula, Auguſtis tantùm ſolita conferri, aut deſignatis eorum hæredibus. Quæ illuſtrant egregiè locum Taciti, apud quem inter reliqua crimina Piſoni obiecta, *vitio verſum, quod paſſus ſit vt PARENS LEGIONVM vocaretur.* Noum inſuper in Auguſtorum gratiam repertum *PATRIS SENATVS* cognomentum, quod Tiberio recuſanti conſul Vipſanius deferebat, & Pupieno ac Balbino Nummi verè tribuunt, cum inſcr. *PATRES SENATVS*. Repertum illud nempe vice antiquæ illius appellationis *PRINCIPIS SENATVS*, quam ab Auguſto ſuſceptam, à Tiberio inter titulos principatus adſcriptam, ſupra ex Dione vidimus. Hinc verò ad Auguſtas etiam eadem translata cognomenta, *MATRIS SENATVS*,

Annal. 3.

MA-

MATRIS CASTRORVM, quæ Nummi & Marmora Fauſtinæ ac Iuliæ Seueri largiuntur. Qui mos ſcilicet in Liuiæ gratiam inductus, quam *alij PARENTEM, alij MATREM PATRIAE appellandam cenſebant*. Aliâs vt illi Patres aut Matres Caſtrorum, ita *FILIVS CASTRORVM* vocatur Caius apud Suetonium.

Tacit. Annal. 1.

De Titulo PII

PII verò & FELICIS cognomenta tribuunt ijſdem Auguſtis, antiquæ Nummorum & Lapidum Inſcriptiones. Mos autem earum inductus, ex acclamationibus Senatus in inauguratione Principum, aut præclaris rebus in commune beneficium ab iiſdem geſtis. Elagabalus quidem inter reliquos imperii titulos, vtrumque adſumpſit ante Senatus decretum, vt conſtat ex eiuſdem epiſtolâ apud Dionem. Aliâs enim neque continuò, ſub initium Principatus, neque coniunctæ ſemper eædem appellationes Cæſaribus delatæ. Diſcrimen hoc, & corruptum ſimul morem adulatione illorum temporum, in Commodo obſeruat Lampridius; *Inter hæc Commodus Senatu, ſemet ridente, quum adulterum matris Conſulem deſignaſſet appellatus eſt PIVS, quum occidiſſet Perennem appellatus eſt FELIX*. Hinc vtrumque ſimul in Nummis eiuſdem Commodi primùm videas receptum, & dein in Seueri, aliorumque Cæſarum Inſcriptionibus

Lib. 29.

bus frequens. Aliâs & Tiberio iam olim ſed abnuenti, & ſucceſſori eius Caio in Deos iuxta & coniunctos impio, iam olim PII cognomen delatum tradit Suetonius; *compluribus cognominibus aſſumptis, nam & PIVS, & CASTRORVM FILIVS, & PATER EXERCITVVM, & OPT. MAX. CAESAR vocabatur.* De ratione verò huius cognominis PII, ijſdem Imperatoribus conceſſi, diſſerit alicubi Themiſtius; qui alibi etiam Deorum exemplo ita dictos docet, qui tanquam ΕΥΣΕΒΕΙΣ, & ΣΩΤΗΡΕΣ ſoleant inuocari. Hinc recepta eadem iam ante à Regibus Orientis nomenclatio, cum aliis Deorum Cognominibus; vt præter alios ab Antiocho Euergete, ſicut probat illius Nummus, ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Apud Romanos verò duplici ratione tributum illud cognomentum Cæſaribus liquet ex eorum Nummis: Priori, pro Religione erga Deos; vnde Inſtrumenta Sacrificij, Patera, Aræ, aut Templa, in aliquot Cæſarum & Auguſtarum Nummis, cum inſcr. *PIETAS AVG.* Quò ſpectat rarus quidam nummus Otacillæ Auguſtæ, in quo mulier ſtans iuxta aram, dextram extendens & ſiniſtra tenens pixidem *PIETAS AVGVSTAE*. Altera, frequentiùs pro patrio affectu erga liberos, Senatum, & mu-

In Caligul.

Orat. IX.

In Theſauro Magni Ducis.

tua

tua quadam inter ſe omnium ordinum caritate. Quo ſenſu iam olim, & *PIVS* Aeneas apud poetam, & *PII* fratres Catanenſes apud Græcos, & præter Oppium, Metellus, ac S. Pompeius *PII* in eorundem Nummis dicti. Ita rurſus non liberorum erga parentes, ſed parentum in liberos caritate, non ſolùm *PIETAS* in Auguſtarum nummis, Matris gremio liberos fouentis, aut manus ſuper eoſdem extendentis ſymbolo frequenter adumbratur, ſed in altero etiam Antonini numiſmate, fig. ſtans cum tribus pueris, & inſcr. *PIETATI AVG.* Quò referri etiam debet rara inſcriptio Theodoræ Maximiani Coniugis apud Triſtanum *PIETAS ROMANA*, cum figura mulieris filium lactantis. Hinc natum vtrumque hoc diſcrimen in Romanorum monumentis, vt ijs ex æquo celebraretur *PIETAS* Principis, cùm erga Deos, tum in liberos ac ſubditos, pro vtraque nominis illius ratione; & rurſus *PIETAS* ſubditorum erga Principem, vt Parentem nempe Communem, aut Numen tutelare. Poſterioris huius moris exempla, cùm obuia apud Scriptores, vt in verbis Piſonis apud Tacitum, *Annal. III.* *vixiſſe me Cæſar cum fide aduerſum te, neque alia in Matrem tuam PIETATE*, tum manifeſtius, in Statua illa erecta L. Vitel- *Sueton. in Vitell.* lio patri cum inſcr. *PIETATIS IMMO-*

MOBILIS ERGA PRINCIPEM: Vnde & inter fauſtas Patrum acclamationes, in inauguratione Pertinacis, ingeſtum illud *PIETATI SENATVS FELICITER*; quem Lampridij locum egregiè illuſtrant præclari nummi Antonini Pij, & Commodi, cum Imperatoris & togatâ Senatus figurâ, ac inſcr. *PIETATI SENATVS* Ita viciſſim alius occurrit nummus Galbæ rariſſimus, & quem vna nuper apud Illuſtriſſimum Camillum Maximi inſpiciebamus, in quo Galba cum ſceptro & eadem Senatus figura, capiti illius coronam imponens, cum inſcr. *SENATVS PIETATI AVG.* Vbi nempe videas, Senatum eodem illo habitu expreſſum, quo depictum illum in priſcis imaginibus tradit Dio. Sic alibi mutua duorum Auguſtorum Pupieni & Balbini Concordia ſolito ſymbolo, duabus nempe manibus iunctis adumbratur, cum inſcript. *PIETAS MVTVA AVGG.* Hinc factum etiam, vt labente imperij æuo, inter ſolita & propria Imperatorum epitheta, *PIETAS* ſicut Serenitas, aut Manſuetudo ſit recepta, quod notatur in Nouellâ Iuliani. Antonino autem non vt commune illi poſtea cum reliquis Auguſtis, ſed & propriũ cognomen manſit, deſumptum ab illius cùm in Hadrianũ, tũ in Deos Pietate. Poſtremum notat Pauſanias,

Lamprid. in Commodo.

In Theſ. Reginæ Sued, & Magni Ducis.

Lib.68.

Nouella 115.

In Ariadicis. τοῦτον ΕΥΣΕΒΗ τὸν βασιλέα ἐκάλεσαν οἱ Ρωμαῖοι διότι ἐς τὸ θεῖον τιμῇ μάλιςα ἐφαίνετο χρήμενος. Hinc ſolo PII nomine frequenter deſignatur, vt apud Lampridium in Alexandro Seuero, *quid PIO ſanctius, quid MARCO prudentius, quid VERO ſimplicius*; & ad eum adludens Poeta apud Spartianum; *In Peſcen. Nigro*

Cui dederint Superi nomen habere PII.

De Titulo FELICIS. FELICIS etiam appellatio, Syllæ exemplo à Cęſaribus admiſſa, quam Commodo, Perenne occiſo, demum conceſſam, ex Lampridio & Nummis eiuſdem Auguſti monuimus. Eandem verò altero nomine PII præterito, à Senatu delatam recepiſſe Macrinum docet Capitolinus; *Et quum illum Senatus PIVM ac FELICEM nuncupaſſet, FELICIS nomen accepit*. Ad quod eius inſtitutum adluſiſſe videtur illius nummus cum inſcr. *ROMAE FEL. Romæ felicis*. Aliâs vtrumq; *PIETATIS ET FELICITATIS* elogium Traiano vnâ iam olim adſcriptum in veteri Marmore. *Theſ. Grut. p. 246.4* Solliciti nempe ante alia Cæſares, vt felicitas ſuorum temporum nón vno acclamationum aut monumentorum genere poſteris traderetur. Hinc frequentes illæ in præclaris eorundem Nummis inſcriptiones, *FELICITAS AVG. FELICITAS TEMPORVM; FELICITAS REIPVBL. FELICIA TEM-*

TEMPORA; *FELICITAS SAECVLI*; *FELICITAS PVBLICA*, & in eximio Nummo Maxentij, *AETERNA FELICITAS AVG.* Hæc omnia vero varijs in ijſdem ſymbolis expreſſa, Triremi, ſeu proſperæ nauigationis curſu; quatuor pueris & cornucopia, ceu quatuor anni tempeſtatum felici prouentu; Oliuæ ramo & Caduceo, ceu Pacis nuntiis; tum figuris Victoriarum nonnunquam, vt Belli feliciter confecti teſtibus. Vnde paulatim illæ Cæſarum in antiquis lapidibus appellationes, non *PII* ſolùm aut *FELICIS*, ſed *PIISSIMI*, *FELICISSIMI*, *BEATISSIMI*; quorum vtramque non vnus etiam Diocletiani & Maximiani nummus præfert. Quod minus mirum eâ ætate, quâ *Inuictiſſimi*, *Victorioſiſſimi*, *Fortiſſimi*, *Clementiſſimi*, *Maximi*, dicti paſſim Auguſti. Sic *NOBILISSIMI* titulus Cæſarum peculiaris, & frequens iiſdem temporibus, in Philippi Iunioris Nummis primùm legitur. Origo tamen eius iam à Traiano repetenda, vt patet ex veteri lapide *Theſ. Grut. p. 246. 3.* & æuo Commodi, quo idem adhuc Cæſar *PONTIFEX NOBILISSIMVS* vocatur. *Idem p. 260. 6.* Quod illuſtrat etiam Nũmus eiuſdem Commodi cum inſcr. *NOBILITAS AVG.* Aliâs *FELICIS* illud aut *FELICISSIMI* Cognomen, quod in Imperatoribus *honorificentia*,

vt loquuntur ſcriptores Hiſtorię Auguſtæ vocabulum, frequens pro nomine proprio illis temporibus habebatur, vt iam ſupra monuimus, & quâ ratione *FAVSTARVM* ac *FAVSTINARVM* in iiſdem Nummis nomina manifeſtum reddunt.

De Titulo DOMINI.

Nec præteriri hîc debet recepta ſequiori æuo Cæſarum DOMINI appellatio, quæ rurſus pro Prænomine & ſupremi faſtigij vocabulo, in eorundem Nummis ſignatur. Origo autem illius tituli à Domitiano inducta, à Caro illius exemplo repetita, vt probant huius nummi cum inſcr. *DEO ET DOMINO NOSTRO CARO*, vt ad eum recepti poſtea in Nũmis vocabuli vſus referri omnino debeat. Hinc enim à ſucceſſore eius Diocletiano traducta poſtea appellatio, vt ſatis conſtat ex eiuſdem & ſucceſſorum Nummis, cum ſolito titulo *DN.* vel *DN. N. Domino* vel *Domino Noſtro*. Eadem aliâs à cautis vel moderatis Principibus repulſa, vt Auguſto, Tiberio, & Alexandro Seuero, qui *DOMINVM ſe vocari vetuit*. Iam enim pridem ante Cari aut Diocletiani tempora receptus vſus erat, vt Cæſares *DOMINI* à neceſſarijs aut ſalutantibus compellarentur, vt ex Plinij Epiſtolis ad Traianum ſatis notum; ipſi tamen ab eadem appellatione abſtinerent, vt docent eorum Nummi & Marmora. Vnde &

Lamprid. in Alex. Seu.

Au-

Auguſtum ipſum ab hac appellatione abhorrentem, *DOMINI* tamen vocabulo compellat Cleopatra apud Dionem & eundem alibi Licinius. Ita *DOMINAE* vocabulum Romanis olim Matronis à viris aut amicis tribui ſolitum, notarunt iam eruditi; vnde de Claudio refert Tranquillus, eum interfecta illius iuſſu vxore Meſſalina, paullo poſt tamen in triclinium decumbentem rogaſſe, *cur domina non veniret*. Hinc de Elagabalo omnium Virorum muliere notauit etiam Dio Γυνή τε καὶ ΔΕΣΠΟΙΝΑ, Βασιλίς τε ὠνομάζετο. *Mulier verò & DOMINA & Auguſta etiam vocabatur*. Aliâs idem *DOMINI* vocabulum, vt Cambyſi proprium iam olim adhæſiſſe, ſupra ex Themiſtio notauimus. Factum verò paullatim, vt pro *DOMINIS* poſtea *DOMNI* dicti ſint Cæſares & Eccleſiarum Antiſtites, vt obuium ex Anaſtaſio & Scriptoribus eorum temporum. *Lib. 51.* *Lib. 54.* *Lib. 79.*

Vnum verò hîc ſupereſt CENSORIS munus; quod non omiſerunt Cæſares, *cuncta Legum ac Magiſtratuum munia in ſe trahentes*. Adeò quidem vt Dio obſeruet, vi illius Poteſtatis, in vitam & mores Senatorum inquirendi, cenſus agendi, in Equeſtrem aut Senatorium ordinem adſcribendi, alios ex iiſdem remouendi plenum imperium eoſdem habuiſſe. At verò alibi vim quid em agnoſcit *De Titulo CENSORIS* *Tacit. Annal. XI.* *Lib. 53.*

illius

illius Magiſtratus penes Cæſares fuiſſe, ſed eoſdem tamen ſua ætate, preterquàm in agendo cenſu, nomine aut Magiſtratu Cenſorio abſtinuiſſe. In quo diſcrimen notat ſui æui, & priorum aliquot Cæſarum, qui Cenſoris nomen ab iis nonnunquam ſuſceptum, à Domitiano certe geſtam Perpetuam Cenſuram tradit. Ita nempe ſe habuit Cenſura ſub Cæſaribus. I. Cæſari & Auguſto cum reliquis honorum titulis, oblatum etiam perpetui Cenſoris munus. Prior admiſit ſub nomine Præfecti Morum, ſicut Cicero ac Tranquillus eum vocant. Poſterior tenax ſemper callidi propoſiti, Perpetui Cenſoris titulum recuſauit, ita quidem vt crearet Cenſores, more veteri, ipſe *munia Cenſoria vſurpans*, vt etiam de Claudio
Annal. XI. loquitur alicubi Tacitus. Aliàs & Cenſuram geſſit Auguſtus cum Agrippa, ne promiſcuè Cenſoris nomen æque ac Dictatoris refugiſſe illum cum doctiſſimo Caſaubono ſtatuas, ſed alterum illud munus obnoxium inuidiæ Perpetui Cenſoris. Factum verò poſtea, vt Magiſter Morum idem crearetur in quinquennium, cum *POTESTATE CENSORIA*; vt omiſſo nempe titulo rem teneret, haud aliter ac Tribunitiæ & Conſularis Poteſtatis reperta illa ætate vocabula. Eiuſdem quoque Cenſoriæ Poteſtatis
Annal. III. mentionem videas apud Tacitum, quam L.

Vo-

Voluſio tributam narrat legendis Equitum decuriis. Hinc poſtea penes Cæſares manſit illa Poteſtas Cenſoria, ita ut eâ contenti, à Cenſoris nomine frequentius abſtinerent; quod Dio tradidit, aut tantùm in agendo cenſu idem vſurparent. Hoc modo factum, vt obſcura euaſerit mentio geſtæ Cenſuræ in Hiſtoriâ Auguſta, nomen certè eiuſdem à Flauijs admiſſum, poſt Domitiani verò tempora vix in publica monumenta Cęſarum ſit adſumptum. Obſtare tamen hîc videtur fragmentum veteris lapidis apud Gruterum, qui Caracallæ tribuitur, & vbi inter reliquos titulos Cenſorem illum dictum video, contra morem eorum temporum Dioni obſeruatum. Sed impoſuerunt hîc nobis eruditi Collectores, quum lapis ille non ad Caracallam, verùm ad Veſpaſianum omnino ſit referendus, vt ex collatione alterius Inſcriptionis mihi ſit manifeſtum. Prius fragmentum tributum Caracallæ,

Theſ. Inſcr. p. 270. 2.

....PONTIFICI MAX.
TRIBVNIC. POTESTAT.
IMP. XVII P. P.
COS VIII DESIG VIIII CENSORI
CONSERVATORI CAEREMONIARVM
PVBLICARVM ET
RESTITVTORI AEDIVM SACRARVM
SODALES TITI.

Alte-

eundem vnum *CENS. PER.* ſeu *Cenſorem Perpetuum* paſſim in iiſdem vocari; reliquos verò Cæſares vulgò ab eâ Cenſoris appellatione abſtinuiſſe. Claudij etiam Cenſuræ, cuius præter Tacitum aut Tranquillum, Plinius & Sidonius meminêre, teſtes etiamnum inſcriptiones, cum in nummo eiuſdem Claudij, tum in veteri lapide. Eximium præterea Cenſuræ monumentum exſtat in præclaro Nummo Vitellij, in cuius auersâ parte L. Vitellij Parentis actio Cenſoria luculenter expreſſa; Cenſor nempe in ſuggeſtu, ante quatuor figuræ ſtantes, ex quibus vna ſupra tres reliquas ſublata, prima Cæſari aliquid porrigit, Nummi verò inſcriptio *L. VITELL. CENSOR. II. S. C.* Qui nummus abundè docet dignitatem muneris Cenſorii, cuius geſti memoria ab Imperatore filio renouari in Nummis meruit. Vt pateat non abſurdè Plutarcho, Cenſuram honorum omnium apicem vocari; aut cur Pollio tradat Valerianum antea Cenſorem, poſtea Imperatorem fuiſſe. omiſſâ aliarum dignitatum nomenclatione; quod non debuit ibi magno interpreti negotium faceſſere. Certè quum tres Conſulatus præter Cenſuram geſſerit hîc Vitellius, ab hac tamen potius, vt per ſe eximiâ, & ſub Cæſaribus ſingularis exempli, quæſitum honoris apud Poſteros monumentum. Vt conſtet etiam cur Tacito, Vi- *Hiſtor. III.*

In Catone.
In Valeriano.

M m tel-

tellius Imperator, *CENSORIS Vitellij & ter Conſulis filius* dicatur, quem alibi ab eodem Parente omnem ſuam claritudinem conſequutum docet Tranquillus. Ita longè felicior huius Filij in Patrem Pietas, illo honore Statuæ, quam eidem L. Vitellio pro Roſtris à Senatu erectam ſupra ex Suetonio tradidi, cum titulo *PIETATIS IMMOBILIS ERGA PRINCIPEM*. Nota nempe ex auctoribus illorum temporum exquiſita huius Vitellij adulatio, quâ ſub impuris principibus ſummos honorum apices adeptus eſt, & inter reliquos Cenſuram ſub Claudio geſſit, vt
Annal. XII. cùm aliunde, tum ex Tacito conſtat; *Igitur Vitellius nomine Cenſorio ſeniles fallacias obtegens*, qui & Silanum Prætorem per edictum Vitellii (Cenſoris nempe) ordine Senatorio motum tradit in ſequentibus. Immo liquet etiam ex eodem Nummo, quale fuerit illud
Lib. 54. Tribunal Cenſorium, cuius meminit Dio, & quod eadem die narrat corruiſſe, quâ illud conſcenderunt duo creati ab Auguſto Cenſores, Aemilius Lepidus & Munatius Plancus. Quod verò eodem loco Dio id in omen trahit, quod factum nempe fuerit, vt ab eo tempore non duo amplius priuati homines Cenſores fuerint, ſed iidem poſtremi vna hoc munere ſint functi, hinc etiam obiter poteſt intelligi, & conferri cum altero Tranquilli loco

de

de Claudio; *Geſſit & Cenſuram intermiſſam diu poſt Paullum Plancumque Cenſores*. Duo nempe circa Cenſuram mutata ſub Cęſaribus; Primùm, quod non vt antea perpetua, ſed intermiſſa fuerit Cenſura, in agendo cenſu & pro arbitrio Principum ſolita renouari; vnde neglecta eadem ab æuo Auguſti ad Claudium, & poſtea nonniſi per varia temporum interualla repetita. Secundò, quod eo caſu etiam non amplius duo Cenſores e Conſularibus viris crearentur more veteri, ſed Cæſar vel ſolus Cenſuram gereret, vel eam in alium transferret, ſicut ſub Claudio hîc Vitellius, & ſub Deciis Valerianus Cenſores extitiſſe leguntur. Poſtremi itaque ſub Auguſto, Paullus Aemilius & Munatius Plancus duo Priuati ſimul veteri Cenſura defuncti, cuius etiam malè ab iis geſtæ meminit aliâs Velleius. Hęc mens Dionis, vnde eximiè illuſtratur alter Trebellij Pollionis locus, vbi inducit Valerianum, onus Cenſuræ recuſantem: *Hæc ſunt propter quæ Auguſtum nomen tenetis apud vos Cenſura deſedit, non poteſt hoc implere* PRIVATVS. Vides paria facientem cum Dione, Cenſuram nempe à priuatis ad Principem referentem. Inſolitum illud itaque accidit ſub Deciis, vt decreto Senatus, & Principum auctoritate, priuatus adhuc Valerianus ſolus Cenſor crearetur, & cum ampliſſimâ

In Claudio.

Dio lib. 51.

Lib. 53.

Lib. 44.

Cenſuræ poteſtate, tam circa mores quàm cenſum; ita ut ab eius cenſurâ ſoli immunes relinquerentur Præfectus Vrbis, Conſules Ordinarij, Rex Sacrorum, & Maxima Virgo Veſtalium. Omiſſus aliâs & ante & poſtea ſub Cęſaribus hic vſus ſaluberrimi Magiſtratus, quatenus maximè in cenſurâ morum verſabatur, & quem auctore Symmacho nequicquam reuocare voluit Theodoſius. Accedit præterea & altera obſeruatio, quod non ſemel ſed bis Cenſuram geſſiſſe Vitellium conſtet ex hoc Nummo, quod omiſſum à Scriptoribus, qui in genere Cenſurę Vitellij, & trium eius Conſulatuum meminêre. Vnde liquet etiam errare viros doctos, qui poſt Marcum Cenſorium nullum bis Cenſorem adſcitum credidêre. Vt mittam iam Domitianum, qui non *CENSOR* ſolùm, in vulgatis Nummis, ſed in aliquot etiam rarioribus *CENSOR XII.* deſcribitur. Et hæc de Cenſurâ ſub Cæſaribus, cuius rationem non videntur ſatis adſequuti viri docti, & in quâ tradendâ, haud contemnendum occurrit Nummorum beneficium.

Epiſtol. lib. 4.

De Titulis alijs ſpecialibus à Deis petitis.

Accedunt his peculiaria quædam nonnullorum Auguſtorum Cognomenta, à Diis puta, Titulis deuictarum Gentium, aut Affinitatibus nonnunquam ac Affectibus deſumpta. Prioris generis eſt *OLYMPII* nomenclatio; quo nomine cultum à Gręcis Hadrianum

non

non aliunde, quàm ex rariſſimis eius Nummis conſtat. Vnus æreus maximus Laodicenſium, cum inſcr. ΑΥ ΚΑΙ ΤΡΑ ΑΔΡΙΑΝΟϹ ΟΛΥΜΠΙΟϹ. Vidit iam olim geminum nummum Erizzo, ſed cuius genuinum ſenſum aut lectionem integram non eſt aſſequutus, vt videre apud eundem licet. Alter Epheſiorum. ΚΑΙ ϹΑΡ ΟΛΥΜΡΙΟϹ ΑΔΡΙΑΝΟϹ. Cum Ioue nempe Olympio communis illi hæc appellatio, occaſione Templi, quod illi pariter ac ſibi Athenis dicauit eo nomine Hadrianus, vt ex Dione & Spartiano licet colligere. Vnde præter eoſdem non parùm illuſtratur Pauſanias, qui huius templi ab Hadriano conſecrati meminit, in eoq; ſingulas Vrbes Statuas illi poſuiſſe commemorat; quas nempe erectas ſub titulo *HADRIANI OLYMPII* ex præclaris his Laodicenſium & Epheſiorum nummis liquere videtur. Hinc factum etiam, vt plures occurrant adhuc hodie Nummi Græci eiuſdem Hadriani, cum Iouis effigie in auerſâ parte, quos non magis Athenis, vt Erizzo exiſtimauit, quàm alibi percuſſos hinc diſcas. Periclis aliâs exemplo Athenis primò ſuſceptum id cognomen ab Hadriano, quod vt arrogantiâ plenum in ſugilla priori Plutarchus. *HERCVLIS* etiã nomen eidem Hadriano tribuunt aliquot nummi, qualem vnum edidit Triſtanus cum inſcr.

In Theſ. Reginæ & Magni Ducis.

Diſcorſ. ſopra le Medagl.

In Atticis.

Annal. 3.

In Pericle.

HERC.

HERC. GADIT. ſeu *Herculis Gaditani*. Huc etiam referri debet inſcriptio Græca alterius nummi, prolata iam olim à Cl. Caſaubono e penu Thuaneâ, in qua *HERCVLES ROMANVS* vocatur; ΑΥΤ. Κ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟϹ ΗΡΑΚΛΗϹ ΡΩΜΑΙΟϹ; & altera in qua *HERCVLES SERVATOR* idem dicitur ΗΡΑΚΛΕΙ ΣΩΤΗΡΙ ΑΥΓ. Herculis etiam cùm habitum tum nomen geſtaſſe Commodum priſci auctores tradidêre, qui eandem quoque illi *ROMANI HERCVLIS* appellationem largiuntur, *Appellatus eſt etiam ROMANVS HERCVLES quod feras Lanuuij in amphitheatro occidiſſet*; & alibi accepiſſe ſtatuas in Herculis habitu, & menſem Septembrem *HERCVLEM* etiam ſub eodem dictum tradunt, ſicut aliâs Vrbem Romam ab eo *COLONIAM COMMODIANAM*, & Senatum *COMMODIANVM* nuncupatum; vt mittam claſſem quoque Africanam *COMMODIANAM HERCVLEAM* ab eo denominatam. Præclaram verò huius rei fidem adhuc hodie præſtant, cùm Statuæ aliquot Commodi in Vrbe conſpicuæ cum illo Herculis habitu, tum adhuc luculentius nonnulla eius Numiſmata cum habitu & ornamentis Herculeis ac inſcr. *HERCVLI ROMANO AVG.* Accedit alter Nummus, in quo figura ducens plauſtrum cum boue & vac-

In Not. ad Spartian.

Lamprid. in Commod.

In Theſ. Reg.

vacca, ſolito Coloniæ ducendæ ſymbolo, ac inſcr. *HERCVLI ROM. CONDITORI P. M. TR. P. XVII. COS. VII. P. P.* vt mittam alterum cum inſcr. *HERCVLI COMMODIANO* quod nempe de eo tanquam altero vrbis conditore Roma *COLONIA COMMODIANA* diceretur. Idem alias *HERCVLIS* nomen à Maximiano adſumptum liquet, vnde non ſolùm *HERCVLIVS* dictus in priſcis monumentis, ſed & rariſſimus nummus in eiuſdem honorem percuſſus ſub figura Herculis Hydram occidentis & inſcr. *HERCVLI DEBELLATOAI*; de cuius ſymboli ratione paullo infra. Nec aliena ab eodem appellatio *HERCVLIS VICTORIS*, cùm Maximino Cæſari, tum magno Conſtantino nondum Chriſtiano in aliquot eorundem Nummis conceſſa. Haud aliter nempe Aemilianus Aug. *HERCVLIS CONSERVATORIS* nomine in veteri lapide, aut Seuerus *HERCVLIS DEFENSORIS* elogio deſignatus in antiquo numiſmate. *IOVII* verò nomen à Collega eius Diocletiano receptum docent antiqua marmora, quod ad ſucceſſores eius Galerium Maximinum, alioſque tranſiiſſe ex præclaris aliquot eorundem Nummis liquet, vt ſuprà iam monui. Hinc vtrumq;etiam Diocletianum & Maximianũ *IOVIS* & *HERCVLIS* nominibus deſignatos videas in præclaro *In Theſ. Reg.*

Nu-

Numiſmate, in quo tres monetæ cum Inſcr· *MONETA IOVI ET HERCVLI AVGG·* Ita Licinius Auguſt. & Maximinus Cæſar *IOVII* dicti in eximiis aliquot eorum Nummis, *IOVIVS LICINIVS AVG.* aut *IOVIVS MAXIMINVS NOB. CAESAR.* Vnde Themiſtius ètiam in Panegyrico ad Iouianum, adludit ad eandē huius Auguſti inde petitã nomenclationem. Mitto arreptas à Caro *DEI* & *DOMINI* appellationes, quarum ali quoties iam meminimus & quas præter alios tribuit illi rarus nummus, in quo duo capita Cari & Solis cum inſcr. *DEO & DOMINO CARO AVG.* In auersâ parte verò figura ſtans, *FELICITAS REIPVBLICAE*, quibus vlterius confoditur error Scaligeri nummos Cari cum DEI inſcriptione ad Carum mortuum & conſecratum referentis.

In Theſ. Reg.

Vid. Euſeb. Hiſt. Eccl. l. IX. c. 9.

De Titulis Victoriarum.

A Victorijs aut Titulis deuictarum Gentium nota ex iiſdem cognomina, *GERMANICI, BRITANNICI, SARMATICI, DACICI, ARMENIACI, ARABICI, ADIABENICI, PARTHICI, MEDICI*, Druſis, Germanicis, Caiis, Claudiis, Neronibus, Vitelliis, Domitianis, Neruis, Traianis, Antoninis, Seueris, Maximinis, Diocletianis, Caris, in eorundem Nummis vſurpata. Vnde patet quàm verè per interualla temporum decreta hæc iiſdem narrent Hiſtoriæ Au-

guſtæ

guſtæ Scriptores, nec *Armenici* vt vulgò apud eoſdem legitur, ſed *Armeniaci* reponẽdum eſſe vocabulum. Aliâs exceperunt eoſdem Titulos ſequiori æuo, cognomina *ALAMANNICI*, *FRANCICI*, *GOTHICI*, *PONTICI*, quæ in Valentiniani, Iuſtini, aliorumque illius ætatis Auguſtorum Inſcriptionibus, & Monumentis paſſim leguntur. In vicem nempe *GERMANICI* amati adeo pluribus Auguſti Cognominis, vt vel eorundem nummi arguunt, inductũ poſtea nomen *ALAMANNICI*. Vtrumque tamen ſimul iam olim receptum, quum nondum Alamanniæ nomine Germania integra, ſed pars quædam & veluti appendix cenſebatur. Hinc de Probo Vopiſcus, *teſtes Germani & Alamanni longè à Rheni ſubmoti littoribus*, & de Caracalla Spartianus; *Nam quum GERMANICI & Parthici & Arabici, & ALAMANNICI nomen adſcriberet; nam Alamannorum gentem deuicerat.* Coniuncta ibi vides *GERMANICI &* *ALAMANNICI* vt diuerſa adhuc nomina, donec poſterius vniuerſæ Germanorum gentis locum occupauit, vnde iterum Vopiſcus in Probo; *Nam ALAMANNOS qui tum adhuc GERMANI dicebantur, non ſine gloria ſplendore contriuit*. Eadem nempe ætate inductæ *ALAMANNIAE & FRANCIAE* pro Germania & Gallia vocabula. Poſterioris

Nn me-

meminit Nummus aureus & rariſſimus Magni Conſtantini, cuius ectypum & inſignium aliquot aliorum nuper ad me curare non eſt dedignatus *LEOPOLDVS* Etruriæ Princeps, omni laudum genere cumulatiſſimus. Prioris nempe nummi facies refert Conſtantinum Magnum; poſterior iacentem mulierem ſolitum ſubiugatæ Prouinciæ ſymbolum, cum inſcr. *GAVDIVM ROMANORVM*, infra *FRANCIA*. Vix aliud monumentum illuſtrius videas huius appellationis, quamuis *FRANCORVM* non obſcura ſit apud Ammianum aliosque mentio in rebus Conſtantini filiorum ac Iuliani, & iam ante *FRANCICI* cognomentum Probo tribuat Vopiſcus; *Tu FRANCICVS, tu Gothicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus*; vt facilè pateat æuo Valentiniani non primum illud repertum, vt quibuſdam eruditis placuit. Aliàs omnia id genus Cognomina deuictarum Gentium vno nonnunquam titulo complexi, *DEBELLATORI GENTT. BARBARARVM*, ſicut in præclaro Nummo Conſtantii, aut *TRIVMFATOR GENTT. BARB.* in altero Honorij argenteo, mole & raritate inſigni. Quo ſpectat geminus titulus *DOMITORIS GENTIVM BARBARARVM*, in veteri lapide Valentiniani Auguſti,

In Theſauro Regin.

Theſ. Inſcr. p.1086. 9.

Adfinitatis verò aut Adfectus nomina ſuſce-

pta

pta nonnunquam à Cæſaribus parandæ beneuolentiæ, aut in grati erga Deceſſores animi ſignificationem. Huc ſpectat *ANTONINORVM* nomen celebratum adeò in monumentis Hiſtoriæ Auguſtæ, & quod ſex Cæſaribus vulgo Nummi tribuunt Antonino Pio; M. Aurelio, Commodo, Caracallæ, Diadumeniano & Elagabalo. Vt pateat quàm verè inter reliquas Senatus acclamationes, hanc in Alexandro Seuero referat Lampridius *MONETAE nomen ANTONINI reddatur*, aut alibi adſumpto à militibus in nomen Antonini Diadumeniano, *ANTONINVM habemus, omnia habemus*. Ab Antonino Pio nempe ad M. Aurelium & reliquos dein tranſiit vſus huius appellationis, pro more illorum temporum, quo adoptati Cæſares Deceſſorum nomina retinebant, vnde & *NERVA TRAIANVS*, & *TRAIANVS HADRIANVS*, & ipſe Antoninus *HADRIANVS ANTONINVS* in eorundem Nummis & Marmoribus vocantur. Ita *PERTINAX SEVERVS* frequens in Seueri nummis, *vt eſſet Imperator verè nominis eius, verè PERTINAX, verè SEVERVS*, & idem Auctor paullo ante, ſe quoque *PERTINACEM vocari iuſſit, quamuis poſtea id nomen aboleri voluerit querimonia amicorum*. Quod diſcrimen notant adhuc hodie eiuſdem Seueri Nummi

Spartian. in Seuero.

cum appellatione Pertinacis & ſine eadem frequentes, ita ut hos etiam reliquis poſteriores conſtet ex hoc loco. Aliâs affectatam ab eodem cum M. Aurelio adfinitatem, & erga memoriam Commodi propenſionem, egregiè illuſtrant rariores eiuſdem ac filij Caracallæ Nummi; in quibus aut Seuerus *DIVI MARCI FIL.* cum reliquis titulis deſcribitur, aut Caracalla *COMMODVS* etiam vocatur, vt in veteri nummo Laodicenſium apud Triſtanum. Huc referri etiam debet expreſſa illa adfinitatis ſignificatio in nummis Maxentij *DIVO MAXIMIANO PATRI MAXENTIVS AVG.* & in alio *IMP. MAXENTIVS DIVO MAXIMIANO SOCERO* vt eundem Socerum & Patrem vocet.

T. II. p. 185.

In Theſ. Reg.

De FACTIS Cæſarum.

Cæſarum verò FACTA quæque illuſtria domi ac foris, vbi luculentius, quàm in eorundem Nummis depicta reperias? Abundè id euincunt cùm Tituli Nummorum aliquoties commemorati, tum eorum lucubrationes, quos ex ijſdem Hiſtoriam Auguſtam aut tradidiſſe duximus, aut illuſtraſſe. Adeò vt hîc locum habeat, quod Dio oris aurei docet alicubi, non aliunde màgis Græciæ magnitudinem, quàm ex ruinis eiuſdem conſtare. Neque enim hîc leuia, turpia, indigna denique Maieſtate illius Imperij vel Faſtigij ſe tibi offerunt, ſed eximia quæque & magnifica belli ac

Orat. XXXI.

li ac pacis decora ; ſelecta nempe opportunè quæ poſterorum memoriæ commendarentur. Accedit defectus aut hiatus Hiſtoriæ Auguſtæ, dum centonem eiuſdem tractamus ex variis laciniis conſutum; quo fit vt aut vita plurium Cæſarum negligentius tradita ſit, aliorum etiam tota interierit. Neque enim licet hodie conſulere aut Ephemerides eorundem Cæſarum, aut libros linteos, aut Maximi, Fabij, Marcellini, Dexippi, Valentis, Marij, aliorumque Βιογράφων laudata iam olim monumenta. Iacturam hîc eorundem ſupplet Nummorum id genus ſupellex, ex qua integritas mutilis, lux obſcuris, ignotis verò Cæſarum Actis fides & veritas conſtat. Nec iuuat hîc ire per ſingula, aut quæ in hoc genere nobis ſepoſuimus, non pauca ad ſupplementum Hiſtoriæ Auguſtæ aliis etiam intacta, operosè coaceruare. Id enim alteri & operę & loco reſeruamus. Aliqua tantùm obiter delibabimus, quæ in vberrimâ meſſe tenuis alicuius ſpicilegii vicem præſtabunt.

Neque verò (vt hoc moneam in anteceſſum) quæ modò adtuli de argumenti delectu & præſtantiâ eleuat nummorum aliquot adſpectus, qui Philænidis ſchemata, aut impuros libros Elephantidis, nobis rurſus ante oculos ponunt. Tales noſti veteres illos nummos rariores, quos vulgò Antiquarij Spintriis Tibe- *De Nummis vulgò Spintriȷs Tiberȷ.*

be-

berij annumerant, idque ex Suetonio colligiunt tradente de Tiberio; *Cubicula plurifariam diſpoſita tabellis & ſigillis laſciuiſſimarum picturarum & figurarum adornauit, librisque Elephantidis inſtruxit, ne cui in opera edenda exemplar imperatæ ſchema deeſſet.* Hinc Nummi adhuc ſuperſtites cum *obſcænis* id genus *tabellis* damnatis Propertio, & quarum aliâs meminit vaniſſimę artis Magiſter, non malè ad hunc Tiberium referri hactenus videbantur. Neque ſic tamen, vt verum fatear, certò colligi poſſe exiſtimauerim Nummos illos percuſſos ſub Tiberio, quum neque id tradat eo loco Suetonius, nec vlla imago aut memoria Tiberij in iiſdem ſit expreſſa, ſed tantùm litteræ numerales I. II. &c. Accedit abhorrens ab eiuſmodi inſtituto Tiberij ingenium, qui in Capreenſi ſeceſſu & remotus ab hominum conſpectu, impuras id genus voluptates ſibi ſeponebat. Vnde coniiciebam eoſdem ad Nummos illos theatrales commodè poſſe referri, qui in publicis & laſciuis ſpectaculis, in vulgus magno numero ſpargebantur. Fundus mihi huius moris & inſtituti Martialis,

Epigr. l. VIII. 77. *Nunc veniunt ſubitis laſciua numiſmata nimbis*
Nunc dat ſpectatas teſſera larga feras.

Vides hîc *LASCIVA NVMISMATA* & ſimul copiam ac rationem eorundem, quę veluti *ſubitis nimbis* ad ſpectatores theatra-

li licentiâ proiiciebantur. Vt omnino huc ſpectare videantur laſciui illi nummi Romanorum adhuc ſuperſtites, qui vſu & argumento iiſdem certè accedunt. Firmant id ipſum egregiè notæ illæ numerales, quales geminæ occurrunt in aliis nummis eiuſdem molis & formæ, cum quadrigis vel effigie Augusti in anteriori parte, in auerſâ numeri varij incluſi coronæ laureæ, & quos non malè ob Circẽſium aliorumq; ludorũ celebritatem percuſſos colligas. Vnde cadit etiam eorum argumentatio qui ideo *laſciua* id genus *Numiſmata* Tiberio adſcribunt, quod occurrant nonnulli eiuſdem nummi, illinc cum eius effigie, hinc cum Numeris id genus. Neque tamen negauerim, ex impuris illis ſchematibus Tiberij aut libris Elephantidis deſumi potuiſſe laſciuas illas Nummorum figuras, qui reliquæ ſpectaculorum infamiæ acceſſerunt. Certè eò firmior nobis videtur hæc de Nummis illis coniectura, quod eandem tuo calculo, & Cl. Gottifredi iudicio probatam noui. Quum verò & numero pauci ſint iidem nummi, & rariſſimè occurrant in tantâ & parata copia illorum, qui egregia quęque & ſalubria facinora habent depicta, nihil inde certe nummorum præſtantiæ & vſui detrahi, haud difficulter largieris. Adeò vt non minus commodè adaptari illis poſſit, quod apud Sidonium lego:

go:

Lib. II. Ep. 2. lego ; *Non hic per nudam pictorum corporum pulchritudinem turpis proſtat HISTORIA, quæ ſicut ornat rem, ſic devenuſtat artificem.*

Duodecim quidem priorum Cæſarum vitas, ita Suetonius præter Dionem & Tacitum complexus eſt, vt varia tamen aut ſponte neglecta, aut aliâs accuratam eorundem induſtriam fugerint. Non commemoro hîc *COLONIAS*, ſub Iulio, Auguſto, Tiberio, Claudio deductas, de quibus ſilent fermè Auctores, & quas Nummi exhibent, vt alibi videbimus. *ASYLORVM* ius & morem, quę vſquam erant, aboleuiſſe Tiberium tradit Suetonius. At verò incautè id ab eo adſertum liquet ex fide veterum Nummorum, in quibus non obſcura eiuſdem iuris mentio poſt Tiberiana tempora. Mitto enim antiquiores & præclaros vel Tyri nummos, cum inſcr. ΤΥ-*In Theſ. Magni Ducis.* ΡΟΥ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ, aut Apameæ *In Theſ. Reg.* ΑΠΑΜΕΑΣ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ. Recentiores Nummos hîc reputo, qui non vni ciuitati idem priuilegium ſub Cæſaribus adiudicant. Talis ſub Tito percuſſus, ΠΑ-ΡΑΙΤΩΝΙΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ, quem adtulit Seldenus ad Marmora Arundelliana. Nec abſimilis nummus Samoſatæ Comagenę Metropolis Φ. CAMOC. IEP. ACY. AYTONO. MHTP. KOM. h. e. *Flauia Samoſate ſacra, Inuiolabilis, ſuis legibus viuens,*

Me-

Metropolis Commagenæ. Geminus Nummus Cæſareæ ſub M. Aurelio KAIC. CEB. IEP. KAI ACY. YΠ. ΠANEIΩ. Cæſarea nempe Philippi, vel *Paneas* hîc deſignatur, in nummis Titi CAESAREA PANIAS dicta, quæ non minus IEPA KAI ACYΛOC vocatur hoc loco, ac altera illa HIERO-CAESAREA, quæ in contentione Vrbium de iure Aſylorum, apud Tacitum legitur. Alter Gabalitarum apud Goltzium, ΓABAΛI-TΩN THΣ IEPAΣ KAI AΣYΛOY. Vnde ſatis conſtat rectius Tranquillo, & ex fide Hiſtoriæ pronunciaſſe Tacitum, qui non ius omne Aſylorum ſublatum, ſed modum tantùm præſcriptum docet. Nec illud ius ſolùm Aſylorum, ſed LIBERTATEM etiam Græcis aliiſque Ciuitatibus, à Cæſaribus nonnunquam conceſſam, præter Auctores celebrant etiam eorundem Nummi. Ita Amiſus Vrbs Cappadociæ libertate donata ab Auguſto, auctore Strabone, vnde præter alios Plinio iuniori vocatur *Amiſenorum Ciuitas LIBERA & Fæderata*. Hinc eadem occurrit in nummis Caracallæ, cum inſcr. AMICOY EΛEY ΘEPAC. Aliâs ante Auguſtum, iam olim ab Alexandro, & dein à Sylla eadem Vr bs *LIBERA* relicta legitur apud Appianu m, & à Lucullo apud Photium. Lacones et am ob eandem prærogatiuam Ἐλευθερολά-

Annal. III.

Lib. XII.

Lib. X. Epiſt.

In Theſ. Magni Ducis.

In Mithridat.

Lib.VIII. *In Theſ. Magni Ducis.* κονας vocat Strabo, & Pauſanias non aliter ac Rhodii in veteri nummo ΕΛΕΥΘ ΡΟΔΙΩΝ vocãtur ob libertatem nempè iiſdem adſertam à Romanis, vt ex Strabone, Appiano aliiſq; notum. Alias non Vrbes ſolùm ſingulas, ſed Græciam etiam vniuerſam *LIBERAM* à Nerone pronuntiatam, præter Hiſtoricos, Pauſanias & Philoſtratus meminêre, quod beneficium eidem poſtea ademit Veſpaſianus. In memoriã gemini beneficii, Iupiter ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΥ ſeu LIBERATORIS nomine cultus apud Syracuſanos, vt conſtat ex veteri nummo illius vrbis, in quo cap. Iouis & inſcr. ΖΕΥC ΕΛΕΥΘ. ſeu ΕΛΕΥΘΕΡΙΟC. Sic cum Libertate ΑΥΤΟΝΟΜΙΑΝ ſeu patriis legibus viuendi arbitrium, variis Vrbibus ac locis, Romanos olĩm permiſiſſe, memorant non ſemel Auctores. Vtramq; Athenienſibus relictam meminit Strabo, ἐφύλαξαν τὴν ΑΥΤΟΝΟΜΙΑΝ αὐτοῖς καὶ τὴν ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝ, qui alibi Spartianis, Rhodiis Acarnanis, aliiſque eandem conſeruatam docet: vt mittam quod de bello illa de cauſa inter Romanos & Antiochum ſuſcepto, ex Appiano aliiſque ſatis conſtat. De Græcis in genere *Lib.I. Ep. ad Attic. 6. & lib.VI.3.* Tullius, *Græci verò exultant, quod ſe AVTONOMIAN adeptos putant.* Explicat ius illud *Lib.XVII.* alicubi Strabo, κατὰ τινὰς πατρίους νόμους, ſeu facultatem viuendi iuxta quaſdam patrias leges, alibi

alibi verò (vbi agit de ſimili iure Maſſilienſibus relicto,) immunitatem à iuriſdictione Romani præſidis interpretatur. Scilicet eo prærogatiuæ genere Vrbs vna altera nobilior cenſebatur. Vnde Argiuos à Spartanis nobilitate ſuperatos narrat idem Strabo, quod ſe Αὐτονόμους conſeruaſſent; quod priuilegium pretio proinde redimebant, vt de Tyro memorat idem Auctor. Hinc intelligimus cur eadem prærogatiua, vt inſigne aliquod beneficium, adſcripta ſit, non in vetuſtis ſolùm Marmoribus, ſed etiam in priſcis aliquot Nummis, vt Seleuciæ, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΩΝ. Alterius vrbis mutila Nummi inſcriptio... ΕΑΤΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΑΥΤΟΝΟΜΩΝ. Cappadocibus aliâs idem ius Αὐτονομεῖσθαι à Romanis conceſſum, idem ille Cappadox tradit, quod tamen,(nata quippe gens ad ſeruiendum,)non admiſére.

Lib. IV. *Strabo lib. VIII.* *Lib. XVI.* *In Theſ. Magni Ducis.* *Strab. l. XII.*

LIBERALITATES verò, vel gratuita beneficia Vrbi aut Prouinciis à Cæſaribus conceſſa, ſeu in largiendis opibus, ſeu in tributis aut oneribus remittendis, ſeu in ſubleuandis collapſis Ciuitatibus, iidem Tiberii, Neronis, Galbæ & ſequentium aliquot Cæſarum nummi abundè prædicant. Galbæ certè, vt alia mittam, pulcherrimum facinus *Quadrageſimam Remiſſam*, nō aliundè quàm ex

De Remiſſione Onerum aut Tributorum.

præclaris eiuſdem Nummis hodie nouimus. Tales duo occurrũt eiuſdem Galbę, vnus cum viro ferente ſpolia, & inſcr. XXXX REMISSA S.C. Alter rarior cum Arcu, quem aliquoties inſpexi in Cimelio Ill. Camilli Maximi, *QVADRAGENSVMA REMISSA*. Geminum huic poſtremo vidit iam olim Caſaubonus, quem adtulit ad Suetonium, & pluribus commendat, *Galbam reuocaſſe abolitionem Quadrageſimæ docemus nos inuicto argumento Nummi veteris, qui ex S. C. ad tradendam poſteris eius beneficij memoriam & honorem Galbæ, fuit percuſſus; eum nummum infra ſubiecimus*. Principum nempe breuioris æui facta negligentius ab Hiſtoricis tradita, vt rectè ibi obſeruat vir eruditiſſimus, & plures huius Galbę & ſucceſſorum nummi oſtendunt. Hinc omiſſa omni Galbæ mentione, malè huius portorii abolitionem à Nerone repetit Tacitus; *Manet tamen abolitio quadrageſimæ quinquageſimæque*: quum Galbæ præcipuum hoc fuiſſe beneficium conſtet iuuicto huius nummi argumento. Neque enim audiendus vir doctiſſimus, qui nuper in Epiſtolis hanc abolitionem Neronis de quadrageſima ſummæ litigantium, inuecta à Caio Imp. interpretabatur. Clarè enim eo loco Tacitus de Vectigalium abolitione, & coercitis ſub Nerone publicanis; vt non alia ibi quadrageſima

Annal. XIII.

Sueton. in Calig.

ſima, quàm ea de qua agit Quintilianus; *Præter inſtrumenta itineris omnes res quadrageſimam publicano debeant*, aut Suetonius, qui publicum Quadrageſimę in Aſia memorat, vt eadem loca iam olim ad Tacitum notauit Lipſius. Aliâs inſcriptionem veterem *QVINCTIO AVG. TABVLARIVS XXXX. GALLIARVM*, verè de Tabulario Quadrageſimæ interpretatur alter vir ille eruditiſſimus, & priorem ſententiã ſuam iure reuocat, de mutandis illis denariorum notis in IIII. quaſi de Quatuor Galliis ibi eſſet mentio. Egregiè nempe hunc & lapidem & ſenſum illuſtrat prior ille Galbæ nummus, in quo XXXX pro Quadrageſimæ portorio, eadem ratione ſignatur. Hanc verò Quadrageſimam à Galba remiſſam, Symmachi æuo iterum perſolui ſolitam, ex eiuſdem epiſtolis notarunt iam eruditi. Vt verò Quadrageſima hoc loco, ita Viceſima, Quinquageſima, Centeſima, Ducenteſima, aliaque id genus Portoria & Tributa, haud ignota ex priſcis Romanorum monumentis. Sic de Vigeſimâ abolendâ Auguſtum cogitaſſe, aut ſaltem ad Senatum retuliſſe auctor Dio Cocceius.

Declam. CCCLIX. *In Veſpaſ.* *Lib. 56.*

Ad ſimile genus Beneficentiæ, plurima referri poſſent in nummis eorundem Auguſtorum conſignata. Talis *VEHICVLATIO ITALIAE REMISSA* à Nerua,

ua, quem nummum iam excuſſerunt eruditi Antiquarij, & ad Spartianum in vitâ Hadriani Caſaubonus. De Pio aliâs eundem curſum vehicularium ſubleuaſſe tradit Capitolinus, & de Seuero Spartianus, illud à priuatis tandem ad fiſcum reduxiſſe. De Conſtantio verò refert Ammianus, eum in id intentum fuiſſe vt *rei vehicularia ſuccideret neruos*. Sic alia pręclara eiuſdem Neruæ facinora, Fiſci Iudaici calumnia ab eo ſublata; Plebi Vrbanę frumentum conſtitutum; Congiaria Populo data; Annona procurata; Adlocutio militaris; Colonia Caſſandrea deducta vel reſtaurata; vix alibi hodie, quàm in præclaris eiuſdem Nummis leguntur. Ad eandem verò Beneficentiam ſpectat quoque liberalitas illa inſignis Hadriani, quâ remiſſa fiſco Principis, aut ærario Pop. Rom. debita ab annis ſexdecim, ſyngraphis in foro incenſis, ſicut Dio & Spartianus in eius vitâ tradidêre. Huius præclari facti memoriam conſeruauit eximius eiuſdem nummus, in quo Imp. ſiniſtrâ ſceptrum, dextrâ face accensâ faſciculum comburit, cum Inſcr. *RELIQVA VETERA HS NOVIES MILLE ABOLITA*, vt etiam ſummam illius largitionis, de qua ſilent Auctores, cùm ex veteri lapide apud Gruterum, tum ex hoc nummo intelligamus. Viderat iam olim ſimilem nummum Ill. Scaliger, ſed quem

Lib. XXI.

Lib. 66.

male

malè in Auſonianis lectionibus, ad Traianum non Hadrianum refert; deceptus, vt puto, lectione illius nummi, in quo iſte *TRAIANVS HADRIANVS* vocatur, vt poſterius nomen, quod ſępe accidit, in nummo vix amplius comparuerit. Vndę cadit omnis eiuſdem Scaligeri ſollicitudo; *Mirum eſt quod & Auſonius & Numiſma tribuunt Traiano*, quod Hadriano nempe concedunt Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ. In Auſonio enim, aut Hadrianus pro Traiano omnino reponendus, vbi huius facti in Panegyrico ad Gratianum meminit, aut id inter μνημονικὰ ἁμαρτήματα Auſonij referendum; Nummus autē index eius facti ſub Hadriano, non Traiano percuſſus. Hadriani verò exemplum æmulatus M. Aurelius, qui ampliori adhuc munere debita fiſco aut ęrario ab annis quadragiuta ſex remiſit, ſyngraphis eodem modo combuſtis, vt in vitâ eius tradit Dio, & de quo aliâs refert Capitolinus, *tributa & vectigalia vbi neceſſitas cogebat remiſit*. Nec abſimili conſilio de Aureliano Vopiſcus; *Tabulas publicas ad priuatorum ſecuritatem exuri in foro Traiani ſemel iuſſit*. Aliâs cùm temporarias, tum perpetuas eiuſmodi largitiones Cęſarum in condonandis reſiduis tributorum, vel vectigalium, aut abolendâ eorum parte, commendant ſæpe Auctores, vt de quartâ parte tributorum remiſſa à Conſtantino Euſebius, ac Themiſtius; de quinta à Iu-

Lib.70.

De vit.Conſt. lib.IV.c.2.

Orat.V. Iuliano Ammianus, & ipſe in Miſopogone, & *Orat. XVII.* in genere de remiſſa vectigalis portione, Conſtantium laudat idem Themiſtius. De Iuliano *Lib. XVI.* aliâs obſeruat Ammianus, *Iulianus cauet ne per Indulgentias, quas appellant, tributariæ rei concederet* RELIQVA. Indulgentiæ nempe dictæ illo æuo id genus beneficentiæ, vt eaſdem vocat in commemorato loco Auſonius. De Rhodiis vt ſingulari facinore, meminit *Orat.XXXI.* Dio Pryſæus, Remiſſionem omnium debitorum iis à Romanis conceſſam, quam iidem tamen admittere detrectarunt. Eiuſdem verò aut Hadriani, aut deceſſoris Traiani, aut aliorum priorum iuxta ac ſequentium Cæſarum *LIBERALITATES, CONGIARIA DATA POPVLO ROMANO*, vix aliunde rurſus, quàm ex præclaris eorundem Nummis intelligas; in quibus ſæpius repetita illarum largitionum memoria, adeò vt in Antonini PII Numiſmatibus, eiuſdem *LIBERALITAS VIII* reperiatur. Ex contemplatione verò eorundem diſcas rationem omnis huius moris, qui non ſemel viris doctiſſimis impoſuit, & præ aliis Cl. Salmaſio. Iſte enim in Amphitheatri gradibus, omnes illas argẽti & teſſerarum largitiones, & panum diuiſiones fieri ſolitas exiſtimat, & de iis interpretatur inſcr. *QVAE DIVISAE SVNT POPVLO PER GRADVS* &

lo-

locutiones frequentes in Codice Theodoſiano, de gradibus, in gradibus, & gradibus panem diſtribuere. At verò hanc eius ſententiam præter alia, Nummi abundè refellunt, qui ob ſolemnitatem eiuſmodi largitionum percuſſi, oſtendunt erectum Tribunal, & Gradus quibus conſcendebatur, ſedentem in illo Imperatorem & ſtantes in eodem pro Gradibus. vnam aut plures figuras, cum Congio aut Teſſerá, frumentum aut æra diſtribuentes ſingulis per illos gradus eadem recipientibus. Foro autem vicinum fuiſſe illud Tribunal, & eandem ſimul harum diuiſionum rationem firmat illuſtris apud Ioſephum locus, malè ab eodem viro illuſtri acceptus, vbi inter alia de illo Tribunali loquens, ὑψηλόν τὲ ἐστὶ τὸ στέγος Antiq.l.XIX. c.I.
εἰς τὴν ἀγορὰν φέρον; *ſublimis verò eſt ille ſuggeſtus ducens ad Forum*. Quæ ſatis ante oculos ponunt, quid ſibi velint locutiones illæ *PER GRADVS*, aut *PANVM GRADILIVM* obuiæ in Inſcriptione veteri, aut Codice Theodoſiano, quæ non aliò quàm ad Gradus erectos ante illud Tribunnal reſpiciunt. Antonini Acta in Dionis Codicibus periiſſe teſtatus eſt iam olim Xiphilinus, ac proinde Hiſtoriam eius ignorari; quam aliunde tamen ſupplet Capitolinus, & copioſa in illius Nummis earundem Liberalitatum penus.

Mitto iam tot alia eiuſdem Hadriani, Anto-

Digitized by Google

ninorum, & ſequentium Cæſarum facinora, in Nummis expreſſa; Aduentum in Vrbem, aut ab eadem Profectionem; Expeditiones militares; actos Triumphos; Datos Reges; Reſtitutas Prouincias; Ludos celebratos; Sacra peracta; erecta Opera; Adlocutiones Cohortium; Vota ſuſcepta, aliaque de quibus nulla aut obſcura apud Auctores mentio. In Mauritaniam Expeditionem ſuſcepiſſe Hadrianum colligit ex Spartiano doctiſſimus Reineſius. Certum verò id ex eius Nummis, vbi *ADVENTVS MAVRETANIAE* legitur. Nec Achaiam, Africam, Arabiam, Aſiam, Bithyniam, Galliam, Hiſpaniam, Italiam, Iudæam, Macedoniam, Phrygiam, Siciliam, Thraciam luſtraſſe ſolùm aut reſtituiſſe docent eiuſdem Nummi, ſed Ciliciam quoque, vt liquet ex rariori prioribus numiſmate, quod nuper Gazæ Auguſtę Reginæ acceſſit, *ADVENTVI AVG. CILICIAE*. Vt pateat quàm verè à Dione ſit adſertum, neminem Principum tantum terrarum peragraſſe, quo nomine *HERCVLEM* etiam dictum eundem exiſtimauit Caſaubonus. Tacitum verò Auguſtum, etiam extra Vrbem profectum ac Romam reuerſum, vix aliunde quàm ex præclaro eiuſdem Nummo colligas, in quo Imperator equitans, ante Victoriam, à tergo miles & ſigna legionum cum

-in-

inſcr. *ADVENTVS AVG*. Triumphos varios, aut Victorias ſexcentas, hîc non refero paſſim in iiſdem Nummis obuias. De Quadis Carum & Numerianum triumphaſſe, quod liquet ex Ammiano, clarè arguit inſignis nummus, in quo vterque triumphans depictus, cum inſcr. *TRIVNFV. QVADOR*. Sic mentio deuictæ Germaniæ occurrit non ſolùm in Nummis M. Aurelij, Commodi, aliiſque, ſed in altero etiam inſigni Maximini, in quo fig. equeſtris ſternens hoſtem præcedente Victoria, cum inſcr. *VICTORIA GERMANICA*. Nec de Germanis ſolùm, Quadis, Sarmatis, Britannis, Parthis, Armenis, aliiſque hoſtibus Populi Romani erecta in Nummis Tropæa videas; ſed de deletâ etiam ac triumphatâ Chriſtianorum gente. Huc enim referri debet præclarus ille nummus Maximiani ſupradictus, in quo Hercules Hydram occidens, cum inſcr. *HERCVLI DEBELLATORI*. Per Hydram enim impiè renaſcentem ſemper poſt tot funera Chriſtianorum ſectam deſignari voluit nouus hic Hercules, vt bene obſeruauit Cl. Gottifredi, cui primam præclari illius nummi notitiam debeo. Gemina laus nempe illi & eiuſdem Collegę Diocletiano quęſita iam olim in veteri lapide, quem adtulit etiam eminentiſſimus Annalium ſcriptor,

In Theſ. Reg. Sued.

In Theſ. Magni Ducis.

In Theſ. Reg. Sued.

DIOCLETIANVS IOVIVS ET MAXIMIAN. HERCVLEVS CAES. AVGG. AMPLIFICATO PER ORIEN. TEM ET OCCIDENTEM IMPER. ROM ET NOMINE CHRISTIANORVM DELETO QVI REMP. EVER TEBANT.

Ad geminos Diocletiani eiuſdem Triumphos refero nummum aureum eximiæ raritatis, qui Cimelium *LEOPOLDI* laudatiſſimi Etruriæ Principis exornat, & cuius inſigni comitate ectypon eiuſdem poſſideo. In eo quippe cap. Diocletiani laureatum, & in auerſa parte tres Mulieres ſtantes cum cornucopiis & inſcr. *FATIS VICTRICIBVS S. C.* Vides hîc *TRIA FATA*, vt eaſdem Parcas vocat Fulgentius, ne Græcis ſolùm illo Fatorum nomine tetricas Deas nuncupatas quiſpiam putet. Inſolitus verò illarum habitus in eodem Nummo, ac diuerſus ab eo, quem Mythologi, vel Catullus in Pelei Epithalamio iis adſcribunt, de quibus alibi ad Religionem Gentilium. Cur autem *VICTRICIA* eadem *FATA* dicantur in hoc Nummo, & per ſe obuium, & alibi accuratius expendemus.

Nec

Nec alienę ab hoc loco Conciones illę Militares, quarum memoriam & ritum tot præclari Cæſarum Nummi conſeruarunt. Hinc nempe in ſuggeſtu Imperator exerto brachio, infra milites cum ſignis militaribus, & inſcriptiones *ADLOCVTIO*, vel *ADLOCVTIO COH.* ſeu *Cohortis*, *ADLOCVTIO MILITVM*, *ADLOCVTIO AVGVSTI*, vel *AVGVSTORVM*; tot enim modis deſignantur. Eundem ritum ſæpius præ aliis tangit Ammianus; *Conſtantius Sarmaticus dictus Tribunal inſiſtens ſigniſque ambitus & aquilis, & agmine multiplicium poteſtatum, his exercitum adlocutus eſt*. Nec fruſtra *ADLOCVTIONES AVGVSTI* dictas eaſdem in Nummis videas. Peculiaris enim illa Auguſtorum vel Imperatorum prærogatiua, non autem inferiorum Poteſtatum, milites per concionem adloqui, vt clarè docet eximius eiuſdem Ammiani locus; *Iulianus Cæſar e Tribunali ADLOQVI milites noluit, quia obſtabat grauioris inuidiæ pondus, ne videretur id affectaſſe, quod ſibi SOLI deberi AVGVSTVS exiſtimabat*. Vnde lucem quoq; haud exiguam fœneratur Appianus, vbi inducit M. Antonium pace cum Parthis factâ in concionem præ pudore non prodiiſſe, Domitio verò Ahenobarbo id muneris demandaſſe, quo nomine pluribus indignationem, quaſi ſpretis & fa-

De Adlocutionibus Auguſtorum.

Lib. XVII.

Lib. XVI.

In Parthicis

Digitized by Google

facto conciliauit ; Δομέτιον δ' Αἰνόβαρβον ἐκ-
λευσε τοῦτο ποιῆσαι, καὶ τινὲς μὲν ἀγανάκτουν ,
ὑπερορώμενοι , Vides hîc præclarum vtriuſq
Auctoris cum Nummis id genus conſenſum
Ad ſimiles verò Conciones ſpectant alij Num-
mi, in quibus Imperator modò pro ſuggeſtu
modò equitans milites compellat, cum inſcri-
ptione Exercitus, quem adloquitur . Tales ra-
ri aliquot in Nummis Hadriani, in quibus le-
gitur *EXERCITVS DACICVS*, *BRI-
TANNICVS* , *RHETICVS*, *SYRIA-
CVS*, & reliquis adhuc rariores mihi inſpecti
EXER. CAPPADOCICVS, in Cimelio Il
Camilli Maximi; *GERMANICVS*, &
MAVRETANICVS in Gazâ Farne-
ſianâ ; ac *NORICVS* in Theſauro Chriſtinæ
Auguſtę . Ita in aliis Decij nummis *EXER-
CITVS ILLYRICIANI* , Poſtumi, *EXER-
CITVS VAC.* ſeu *Vacenſis* & apud Triſta-
num in eodem *EXERCITVS ISC.* ſeu *Iſca-
nius*. Diuerſus ab iiſdem nummus Vitellij, in
quo fig. armata gradiens cum haſta & ſigno
militari ac inſcriptione *CONSENSVS
EXERCITVVM* à quibus nempe ille Impe-
rator renuntiatus .

In Theſ. Reg. Sued. & Magni Ducis.

In Theſauro Regin.

Neque minus celebratas PACIS artes in
iiſdem Nummis reperias . Hinc non ſolùm
CLAVSVM IANI TEMPLVM , aut
PAX AVGVSTA in vulgatis Nero-
nis

nis numiſmatibus, ſed in aliis ſelectioribus Philippi *PAX FVNDATA CVM PERSIS*, & in nummo aureo Gallieni *VBIQVE PAX*, ac in altero aureo Othonis *PAX ORBIS TERRARVM*, quam laudem Hadriano verius tribuit Spartianus, *Tenendæ per ORBEM TERRARVM PACI intendit*. Vnde *PAX AETERNA* occurrit in Nummis eiuſdem Hadriani, & *PAX AVG. PERP.* vel *perpetua* in veteri nummo Tiberij apud Triſtanum. Huc ſpectant Pacis opera, *LVDI SAECVLARES* ſub Domitiano, Seuero & filiis, Philippis, vario ſpectaculorum genere celebrati, quæ eorundem Cæſarum Nummi præbent conſpicienda. Inter reliquos vnus occurrit Philippi, percuſſus ob eandem celebritatem, in quo ſæcularia ſacra, ſeptem nempe figuræ ante aram ſacrificantes, cum inſcr. *SAECVLVM NOVVM*; vnde ſatis liquet fabulis annumerandum, quod de hoc Imperatore, vt Chriſtiano, Euſebius aliique tradidêre. Sub Honorio quidem celebratos eoſdem ſæculares, ſed ſacris ſæcularibus omiſſis, ſolo Circenſium, aut Theatralium ludorum apparatu tradiderunt auctores. Conſtat id verò ex præclaris eiuſdem Nummis, in quibus Quadrigæ & Victores cum coronâ & palmâ, ac inſcr. *SPECIOSVS DIGNVS EVGENIVS*

In Cimel. Princ. Leopoldi.
In eodem.

In Theſ. Regin. & Magni Ducis.

In Theſ. Regin. Sued.

NIVS ACHILLIS, SIDEREVS.

Opera varia non commemoro ab iiſdem Cæſaribus erecta, aut reſtaurata, quorum formam aut nomina, ſola hæc Nummorum ſupellex præbet. Talia tot Templa Iani Quadrifontis, Iouis Tonantis, Soſpitatoris, Capitolini, Vltoris, Victoris, Fortunæ Reducis, Martis Vltoris, Veneris Felicis, Romæ Aeternę, aliaque quæ cum auctoribus ſuis, Auguſtis, Neronibus, Domitianis, Caracallis, Alexandris Seueris, aliiſque Cæſaribus in eorundem Nummis depicta ſeſe offerunt. Ita Templum *MEMORIAE AETERNAE* in Diui Romuli numiſmatibus, & *IVNONIS MARTIALIS* in nummis Voluſiani conſpicitur. Sic nonnunquam ſtrúctos Arcus circa eadem Templa, aut ſtatuas in faſtigio Templorum poſitas, aliaque veteris Romæ decora, Circos, Arcus, Theatra, Pontes, Portus, Vias, Aquarum Ductus, Macellum Neronis, non aliũde quàm ex his nummorum monumentis, antiquæ Romæ enarratores tradere ſolent, & in conſpectu legentium ponere. Præter notam in hoc genere. Panuini, Donati, aliorumque induſtriam, docebit id ipſum Nardini ROMA ANTIQVA, quæ tuo beneficio breui ſeſe publicè conſpiciendam dabit. Ita Amphiteatri à Gordiano reſtituti memoria non alibi quàm in præclaro eiuſdem Nummo conſeruatur.

In Theſ. Magni Ducis.

tur.

tur. Sic in exortâ nuper inter eruditos Vrbis Antiquarios controuerſiâ, de Arcu *Portugalliæ*, noſti me iis continuò acceſſiſſe; qui non Claudio cum Ligorio, aut Domitiano vel Philippo cum aliis, ſed M. Aurelio eundem adiudicabant. Id enim mihi non minus ac optimo vindici Romanæ antiquitatis Benedicto Mellino noſtro, fide veteris nummi comprobatum,in quo Fauſtina Minor victorię alis in coelum ſublata cernitur, haud inſolito conſecrationis ritu; cui gemina planè in illo Arcu figurâ eiuſdem Auguſtæ ſpectatur. Nec quod ferme omiſeram, pręclara minus celebratiſſimi illius Templi Pacis memoria, quæ vt præcipuum olim Vrbis decus, ſpectatur in aliquot rarioribus Veſpaſiani & Titi Nummis, qui ornant Gazam Farneſianam. Præcipuum verò & vnicum Gazæ illius ornamentũ addere hoc loco liceat, celebrem illum Peſcennij Nigri Nummum, mole & raritate plane ſingularem, & quem cum aliis eiuſdem Cimelij nummis, Sereniſſimi Parmæ Ducis comitate tractare mihi licuit. Ab vnâ parte nempe exhibet Peſcennium, AYTO.KAIC. ΠΕCKENNIOC NIΓΕΡΟC CEB. in auerſâ verò mulierem cũ ſpicis,face & ſerpẽte ANTIO-XEΩN NEOKOPΩN,vt Antiochiæ percuſſũ illum conſtet, in quo tractu ſuſceptum à Peſcennio,ſed breue & infelix imperium conſtat.

De Vtilitate in Chronologia & Geographia.

Sed opportunum iam foret, ab Hiſtoriâ, ad duas eius Miniſtras, CHRONOLOGIAM & GEOGRAPHIAM, ex eadem penu illuſtrandam, ingenij aciem conuertere. Amplus quidem & obuius induſtriæ campus, ſed quem decurrere mihi in præſens, non venit conceſſum. CHRONOLOGIAE certè aut Doctrinæ Temporum vtilitatem ſatis ante oculos ponunt, tot Conſulatuum, Tribunitiæ Poteſtatis aut Imperij anni in iis ſignati, ex quibus Faſtos veteres ſupplere licet ac emendare. Viam illam ingreſſi iam olim clari Scriptores, Goltzius, Panuinius, Baronius, Pighius, Scaliger, ſed in quâ premendâ penuriâ aut minus accurata inſpectione eorundem ſubſidiorum, non ſemel à recto tramite aberrarunt. Accedit cùm ratio annos notandi peculiaris in varijs Græcorum Aſiaticorum, aut Aegyptiorum Nummis, tum Aeræ ſingulares Antiochenſium, Alexandrinorum, Tyri, aliarumque Vrbium aut Populorum, quarum accuratâ obſeruatione non parum iuuari poteſt eadem Temporum Doctrina. Sed de his alio loco agemus diligenter, vbi ſimul diffuſam & ſingularem Numiſmatum præſtantiam ad ornandam GEOGRAPHIAM veterem non perfunctoriè trademus. Paratam enim huius rei copiam nobis præbet, cùm ampla nummorum Siciliæ, Græcię, aut Aſiæ ſeges, qui

ante

ante Cæſarum tempora percuſſi ; tum infinitus quidam numerus Coloniarum , vel Vrbium Græciæ Aſiæque, qui in Cæſarum nummis traduntur , & quarum vltra quadringentas , indicem cofecimus , collectum hîc nobis ex ineditis pleriſque Numiſmatum monumentis . Horum verò fide & beneficio ſingulari , Conditores Vrbium ac Heroas , earundem Sacra , Ludos, Publicos Conuentus, Primatum , aliaque vulgò parum nota , aut inter eruditos etiamnum controuerſa , inde petere licebit ac illuſtrare. Ita non Epheſo aut Smyrnæ perpetuum Aſię Primatum adſcribendum, vt placuit viris magnis, ſatis arguunt Nummi, in quibus modò ΕΦΕϹΙΩΝ modò ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ vt ΠΡΩΤΩΝ ΑϹΙΑϹ ſignata memoria; modo etiam SIDON ASIAE METR. ſeu Metropolis vocatur . De iiſdem Epheſiis , Smyrnæis, aliiſq; vt Neocoris, obuia ex iiſdem Nummis memoria , quibus mentio Εφεσίων Νεωκόρων in celebri Actorum loco vnicè illuſtratur ; de quibus agemus alibi diligenter & accuratè , poſt doctiſſimos viros , & maximè Samuelem Petitum, qui in explicatione huius rei non parùm hallucinatur . Mitto ſymbola varia , quibus facta quædam ſingularia earundem Vrbium deſignantur . Sic , vt alia præteream , Apium nuper cum ſymbolis aliis notabam in nummo Selini Vrbis Siciliæ , ſicut

In Theſ. Regin. & Magni Ducis.

Cap. XIX.

Cl.Gottifredi eundem exhibenti indicaſſe memini. Egregiè verò eodem illuſtrabam Plutarchi locum, qui Selinuntios aureum Apium Delphis tradit dedicaſſe. Adde his inſuper corrupta apud Auctores Vrbium & Locorũ nomina, aut varias Ἐθνικῶν formationes; quibus non aliunde certior lux aut emendatio, quàm ex incorrupta priſcorum numiſmatum lectione accedit. Hinc in ſanando & reſtituendo Stephano de Vrbibus, aut potius eius Epitomatore Hermolao, nuper in Vrbe litteratæ Germaniæ decus Lud.Holſtenium diligentem adhibuiſſe Nummorum tractationem, nec ipſe ignoras, & conſpectus illius operis aliquando docebit. Neque pauca ſunt certè aut leuia, quæ primi in hoc genere notauimus, dum vberior nobis forte quàm eidem Holſtenio, nummariæ huius penus cõtigit contemplatio. Ita (vt id vno vel altero exemplo doceam in anteceſſum) præteritis diebus offerebat ſeſe mihi mentio apud Dionem in rebus Cretenſium, Vrbium Ἐλευθέρας καὶ Ἱεραπύδνας. Vtrumque verò nomen corruptum eo loco docent duo nummi rariores earundem Vrbium, quos paullo ante tractaueram; vnus ΕΛΕΥΘΕΡΝΑΙΩΝ, alter ΙΕΡΑΠΥΤΝΙΩΝ. Sic alibi idem Auctor narrat ab Auguſto Cydonios & Λαμπαίους eiuſdem Inſulæ Populos, libertate aliiſq; beneficijs affectos, vbi Λαππαίους legendum, ite-

Lib. de Pyth. Oracul.

Lib. 36.

In Theſ. Reg. Sued.

Lib. 51.

rum

rum conſtat ex veteri nummo ΛΑΠΠΑΙΩΝ, *In Theſ. Reg.* vnde alibi rectè eadem Vrbs Cretę Λάππα ci- *Lib. 36.* dem Dioni vocatur. Ita apud Strabonem Πολυρρήνιοι Populi eiuſdem Inſulæ occurrunt, vbi πολυρήνιοι reſtituendum conſtat fide veteris *Lib. X.* nummi ΠΟΛΥΡΗΝΙΩΝ. Apud eundem Dionem in vita Hadriani mentionem videas vrbis cuiuſdam ab eo fabricatæ in Mœſiâ & à ſtudio venationis dictam Ἀδριανοῦ θήρας, cuius *Lib. 69.* etiam meminit Spartianus. Memoriam eiuſdem loci conſeruarunt aliquot nummi rariores, vnus eiuſdem Hadriani ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΙ- *In Theſauro* ΤΩΝ cui geminus alter Antonij, & alius Phi- *Regin.* lippi ſenioris ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΕΙΤΩΝ, vt vna voce apud Dionem Ἀδριανοθήρας, idem Vrbis *In Theſ. Magni Ducis.* nomen ſcribendum conſtet, nec *Adrianutheras*, vt voluit Salmaſius, ſed *Hadrianotheras* legendam eandem vocem apud Spartianum, ſicut Hadrianopolis, aut apud Strabonem Πομπηιόπολις non Πομπηιούπολις, vt arguunt veteres nummi ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΙΤΩΝ & inter *Inj Cimel. Cam ll. Maximi.* alios præclarus cum ipſa Pompeii effigie. Οὐλίας Hiſpaniæ Vrbis nomen rectè apud Dionem expreſſum, malè Interpretes in οὐλλία vel *Vlla* mutare voluerunt, eandemque ſecus apud Melam emendare nuper coacti ſunt viri doctiſſimi. Verum enim nomen huius Vrbis VLIA, in quam Coloniam ſub Auguſto deductam conſtat ex præclaro eiuſdem Vrbis

nu-

Digitized by Google

numiſmate mihi ãte paucos dies inſpecto, quæ vox & apud Hirtiũ debet corrigi & apud Ptolomæũ ὀυλία pro Ουία, vt ibi perperam legitur. *Calpen*, & *Carteiam* diſtinctas Vrbes eiuſdem Hiſpaniæ in Antonini Itinerario videas. Corruptum tamen illum Itinerarij locum cenſet Caſaubonus ad Strabonem, & cum eodem viri doctiſſimi, non ita pridem nullum oppidum Calpes nomine agnoſcunt, ſed cum Carteia, à montis vicinitate à quibuſdam Auctoribus confuſum volunt. At verò diſtinctas Vrbes Carteiam & Calpen probant ſuperſtites nummi vtriuſque, & poſtremæ quidem nummus ſub Philippo percuſſus, C. I. CALPE h. e, *Colonia Iulia Calpe*, ne illius nominis Vrbem extitiſſe amplius dubites. *Stobenſium* Vrbis Macedoniæ municipium legas in aliquot Cæſarum nummis Veſpaſiani, Traiani, Caracallæ, & Elagabali cum inſcr. *MVNICIP. STOBENSIVM*, vnde corrupta vox eadem apud Stephanum Στρόβος, alioſque Auctores debet emendari. Sic *Odeſſus* Myleſiorum Colonia in Ponto, ὀδησσὸς Diodoro & Straboni vocatur. Nummum illius adtulit Triſtanus e penu Ducis Aurelianenſis ΟΔΗCΙΩΤΩΝ, qui doctiſſimo viro impoſuit ad Ammianum, qui eiuſdem Vrbis meminit. Vera enim lectio illius Nummi ΟΔΗCCΕΙΤΩΝ, qualis occurrit in Theſauro Magni Ducis. *Niſibis* aut

In Cimelio Ill. Camill. Maxim.

In Theſ. Regin. Sued.

In Theſ. Reg. Sued. & Magni Ducis.

Lib. xxVII.

Ne-

Neſibis nummum produxit iam olim Scaliger, IOT CEP. ΚΟΛΩ. NECIB. MET. h.e. iuxta eundem Ἰυλία Σερία Κολώνια Νέσιβις Μετρόπολις; & explicat Σερία pro Σιρά quaſi à Iulia Soæmia vel Syra, ita hęc Vrbs fuerit denominata. Sed decepit virum illuſtrem praua nummi illius lectio, qui ſub Philippo demum percuſſus, cum inſcr. IOT. CΕΠ. ΚΟΛΩ. NECIBI. METR. h. e. *Iulia Septimia*, non *Seria*, quale nomen malè ibi ex *Syra* detorſit Scaliger. Sic eadem ratione *Septimia* dicta Vrbs Reſanenſium Meſopotamiæ in pręclaro nummo Decij, CΕΠ. ΚΟΛ. PHCAINHCIΩN; & Tyrus *Colonia Septimia* vocatur itidem in veteri nummo Elagabali, COLON. SEPTIM-TYRO; & Eradus in Nummis Caracallæ SEPT. VRBS METR. COLONIA ERADIA. Vt verò illæ Vrbes à Septimio Seuero SEPTIMAE, ita quę aliâs ab eodem *SEVERIANAE*, aut ab aliis Cæſaribus *IVLIAE*, *AVGVSTAE*, *CLAVDIAE*, *FLAVIAE*, *VLPIAE*, *TRAIANAE*, *HADRIANAE*, *ANTONIANAE*, *AVRELIAE*, *COMMODIANAE*, *ALEXANDREAE*, denominatæ ſint, idem Nummorum adſpectus docet. Sic à Nerone Rhodus dicta *NERONIANA* in veteri nummo, quem vidiſſe aliquando memini; & a Galbâ Hiſpania Clunia denominata *Sulpicia* in præclaro

In Anim. Euſeb. n. 232.

In Theſ. Magni Ducis.

In Treſ. Magni Ducis.

In Theſ. Reg. Sued.

claro

In Cimel. Cam Maxi. claro nummo eiuſdem Cæſaris ; *HISPA NIA CLVNIA SVLP.* ne cum Antoni
Dial.VIII. Auguſtino de veritate huius Cognominis SVL(vt legit Vicus in hoc nummo)liceat du bitare . Immo coniuncta plurium nonnun quam Cæſarum nomina geſtaſſe videas, v Mytilene *Vlpia Seueriana* dicta in veteri num
In Theſ. Magni Ducis. mo ΟΥΛΠΙΑC CΕΟΥ. ΜΥΤΙΛΗΝΗ & Tar ſus *Antoniana*, *Seueriana*, *Hadriana* ΑΝΤΩ ΝΕΙΝΙΑΝΗC CΕΥΗΡ.ΑΔΡΙΑΝ.ΤΑΡCΟΥ in nummis Caracallæ. NESIBIS alias & NI SIBIS dicta Vrbs ſupra commemorata , v agnoſcit Stephanus , iuxta vſum nempe anti quum διττογραφίας variarum Vrbium, quen Strabo iam olim agnouit,& Nummi omniun maximè euincunt , in quibus pro Dialecto rum nempe aut Temporum varietate,non vn modo prolata Vrbium aut Regionum nomi na reperias . Vnde legas in iis ΒΙΖΥΗΝΩΝ ΒΥΖΥΗΝΩΝ & ΒΙΣΣΗΝΩΝ de eadem Vrb Thraciæ ; BRETTANIA & BRIT TANIA ; ΒΕΙΘΥΝΙΑ, ΒΙΘΥΝΙΑ ; ΚΑΙ ΣΑΡΕΙΑ, ΚΑΙΣΑΡΙΑ, & ſexcenta id genus.

CONCLVSIO DISSERTATIONIS. Sed hæc alibi expendentur accuratius, & ſi mul quæ ad deductas Colonias , Religionem Gentilium, Conſecrationem, & Supellectilem veterum ſpectare videbuntur. Dum enim ſu ſcepto ſemel argumenco libenter hîc inſeruio, longius me paulatim prouectum video, quàm

ab

ab initio inſtituti tecum ſermonis conſtitueram; vnde pedem etiam referre haud erit iam inconſultum. Neque difficulter miſſionem mihi largieris, OCTAVI nobiliſſime, qui voluntati tuæ obſequutus, minus iam illibenter conſpectu Vrbis ac Italiæ veſtræ breui mihi carendum intelligo. Habebit enim hæc opera, leuem quidem, ſed dulcem tamen neceſſitudinis tecum contractæ recordationem, quam Florentiæ bonis auſpicijs cœptam, magna ſtudiorum animorumque conſenſione hîc voluiſti coaleſcere. Eâ quippe libentius afficior hoc loco, quàm vel Generis vel Indolis aliâs tuæ, florentis vtriuſque cumulatiſſimâ laude, quam non in Vrbe ſolùm, ſed apud exteros latè iam diffudiſti. Meminiſſe enim potes, primam me illius notitiam acceptam ferre prꝗſtantiſſimis & amiciſſimis Viris Capellano Heinſioque, qui de tua ſingulari virtute ac eruditione,profectionem in Vrbem ſuſcipientem, litteris ſuis certiorem fecerunt. Verùm illam ingenij tui aut litterarũ præſtantiam luculentius arguet aliquando non Roma ſolùm à Nardino reſtituta, & tuo beneficio breui datura ſe hominum conſpectui, ſed eidem Vrbi ſplendor propriis ingenij tui monimentis adſertus. Multa quidem,vt noſti,decora, veterem me quodammodo nec incurioſum planè Vrbis hoſpitem detinuerunt, Reginę

quondam Terrarum adſpectus, Tiberis, Colles Septem Domini, Loci Genius, Cœli clementia, Incolarum comitas, Bibliothecarum copia, Veſtigia denique Clarorum hominum, ac Memoria locorum nullibi gentium magis conſpicua. Haud vllæ tamẽ hîc mihi aut in aliis Italię oris potiores illecebrę, quàm vſus & conſuetudo cum decoris eiuſdẽ Cęli ingeniis, *MAXIMIS*, *OLIVIS ALLATIIS*, *GRATIANIS*, *BONIS*, *FERRARIIS*, *GOTTIFREDIS*, *POLLINIS*, *FAVORITIS*, *DATIS*, *REDIIS*, *GRADIIS*, *CHIMENTELLIS*, *MELLINIS*, *RICCIIS*, ac dulcibus mihi Parthenopes ac Floræ amoribus, *A TVRRE* Duce & *LVDOVICO STROZZA*: minus clariſſimæ proſapiæ, quàm conſpicuis ingenij, fidei, ac induſtriæ dotibus commendandis. Alios mitto in altiori faſtigio poſitos, ne dignitati perſonarum tribuere videar, quod meritis eorundem, & perſpectæ erga me beneuolentiæ vnicè debeo. Vnum tamen ampliſſimi ordinis præterire hîc non poſſum, *SFORZAM PALLAVICINVM*, qui cauet ne hodie deſint Italiæ Phœnices ingeniorum; aut ne in eruditâ eius conſuetudine, quæ litteratæ Romæ compendium præbet, nouus ego Tiberis accola, veterem Tullij facundiam, aut Varronis ſcientiam deſiderarim. Sed aut eorum meritis,

aut

aut tuis in me beneficiis enarrandis non immoror hîc vlterius. Vnum illud te rogo per coniunctionis noſtræ neceſſitudinem, vt ſi amori in me tuo pluſculùm quàm mereor, indulſiſti hactenus, aut largieris in poſterum; non magis tamen, quàm fides in te mea poſtulat, conceſſiſſe exiſtimes. Ita nullo gratiori viatico procul à tuo, & Vrbis conſpectu diſcedentem proſequeris.

FINIS.

Series & Conſpectus Diſſertationis.

Occaſio Diſſertationis. pag. 1.
Propoſitio & Diuerſitas iudiciorum circa Nummos. p. 3.
Prima Commendatio à DIGNITATE 1. *ob* Antiquitatem *pretia rerum antiquarum apud veteres ex varijs Auctoribus. Pauſanias illuſtratus.* Admirandis Præpoſiti. *p.* 5.
Pretium & Antiquitas Nummorum, Dio Pryſæus & Suetonius illuſtrati. p. 8.
2 *Ob* Durationem *comparatam cum alijs monimentis antiquitatis Theatris, Tropæis, Libris, Picturis, Statuis; Dio Euſebius, Plinius iunior illuſtrati.* Salmaſius *explicatus.* p. 10.
3 *Ob* Argumenti *Præſtantiā. Religio circa Nummos Cæſarum. Philoſtratus illuſtratus. Argumenta Nummorū. p.* 15.
4 *Ob* Splendorē *&* Auctoritatem *Nummos tractātium Cæſarum, Regum, Principum, & Illuſtrium virorum per Italiam, Hiſpaniam, Germaniam, Belgium, Galliam, Angliam.* p. 17.
Altera Commendatio à VOLUPTATE. De Materiā Nummorum & Nummis Electreis & Aeris Corinthij. p. 24.
2 *Ob* Artis præſtantiam. *Eius laus à ſubtilitate, elegantiā cùm alibi, tum in Nūmis. p.* 25
3 *Ob* Imagines Illuſtrium. *Commendatio illius voluptatis. Alphonſi Regis dictum. Cicero illuſtr. Series illuſtrium Græcorum, Barbarorum, & Romanorum in Nummis. Vultus ad lubitum efficti. Cicero illuſtratus. De Nummis vulgò* Contorniatis. p. 29.
4 *Ob alia Veſtigia priſci æui in Nummis, eorum laus & enumeratio. Lucianus illuſtr. p.* 42
Tertia Commendatio ab VTILITATE. Illius in Nummis præſtantia. p. 43.
In Grammaticis *Nummi libris ſcriptis vetuſtiores.* p. 4.
1. *Circa Formas Litterarum* Græcarum & Latinarum. *Varia litteræ Græci Alphabeti obiter e Nummis excuſſæ.* Salmaſius, Seldenus, Scaliger *refutati. Dio Pryſæus & Philoſtratus illuſtrati. Iſ.* Voſſii P. Seguini *laus. p.* 45.
2 *Circa Litteras* Phœnicum. *Earum veſtigia in Nummis Sidonis, Tyri, alijſque. Diuerſitas aut ſimilitudo cum* Ebrai-

Ebraicis litteris. Samu. Bocharti laus. *p.*49.

2 *Circa litteras* Hebræorum, *&* Samaritãnorum. *De Controuerſiâ vetuſtatis earundem & Nummorum ad eam ſubſidio.* *p.*53.

4 *Circa veterem ſcribendi rationem à dextrâ in ſiniſtram e Nummis illuſtratam. Pauſanias illuſtratus.* Triſtanus *caſtigatus.* *p.*54.

5 *Circa litteras &* Nũmos *veteres* Hiſpanorũ *aut* Gothorũ. *Expenſa obiter ſententia Ant. Auguſtini & aliorum.* *p.*56.

6 *Circa Litterarum* Affectiones, *&* Permutationes. *Earum cauſæ indicatæ.* Salmaſius *refutatus.* *p.*59.

7 *Circa* Compendia *ſcribendi apud veteres.* *p.*63.

8 *Circa* Ortographiam. *Iunonis Siſpitæ, Mithridatis, Abgari vera nomina. Feſtus em. Euſeb. illuſtratus. Alia nomina Romanorum emendata ex Nummis.* *p.*64.

II. *In* Ethica *&* Politica. *Nummi ſymbola virtutum. Mos Senatus e Dione & Plinio illuſtratus. Ciuilis & Moralis ſcientia in* Nũmis *obiter oſtenſa. Ioſephus illuſtr.* Munificentia *quid ſub Cæſaribus.* *p.*70.

III. *In* Phyſica *circa formas Animaliũ Hippopotami, Draconum, Rhinocerotis, Hyænæ; Pelamidum, Cherſydri, Polypi* *Circa* Animalia fabuloſa, *De Sphinge, Syrenibus. Etymon earum indicatum. Heſychius illuſtratus. De Pegaſis. Plinius illuſtratus.* *p.*81.

Circa Plantarum *Hiſtoriam. De Silphio & figura eius ex* Nummis. Scaliger *caſtigatus, Heſych. Syneſ. illuſtrati.* Salmaſius *refutatus. De Loto in Nummis* *p.*90.

IV. *In* Hiſtoria. *Cauſæ vtilitatis nummorum ad eandem indicatæ.* *p.*95

Ad Hiſtoriam Externam. *Origo Macedoniæ Regum ab Hercule e Nummis. Conſtantinus Porphyrogen. illuſtratus. De* Nummis Cornutis *Alexandri & Succeſſorum. Athenæus illuſtratus. Cornua Arietina, Hircina, Taurina, in Nummis; quibus conceſſa apud veteres. Appianus, Porphyrius, Pauſanias illuſtrati.* *p.*101.

De Appellationibus *à Dijs petitis. De Cognomine* Nicatoris *in Nummis. Appianus illuſtr. Heſychius emendatus;* Scaliger *refutatus.* *p.*105.

De Cognomine Soteris *illius origo & vſus oſtenſus.* ΣΩΤΕΙ-

PA

PA *quibus in* Nummis *tribuitur.* p.108.

De Cognomine Epiphanis. *origo indicata. Appianus & Auctores varij illuſtrati. Voces* Ἐπιφανεῖα & Ἐπιφάνια *diſtincta. De voce* Θεοφανείας *Euſebius contra* Scaligerum *explicatus. Epiphanis nomen quibus tributum, ex* Nummis. *p.*III.

De Cognomine Cerauni. *Origo indicata. Pauſanias, Dio, Photius* Heſychius *& Appianus illuſtrati.* p.115.

De Cognomine ΔΙΟΝΥϹΟΥ. *Lucianus & Plutarchus illuſtrati. Nomina à Dijs petita Dionyſi dicti Antiochus, Mithridates, Ptolomæus, Antigonus, & M. Antonius.p.*117

De Cognomine Dei *&* ΘΕΟΥ *quibus conceſſum.* Explicatio, *Nummi Chriſtinæ Auguſtæ* ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ. *Monumentum Adulitanum illuſtratum. De nomine* ΘΕΟΥ *vel* DEI *ex* Nummis *ineditis varia. Teophylactus Simocatta illuſtratus.Carus vivus* DEVS *dictus in Nummo contra* Scaligerum. p.119

De Cognomine Magni *e Nummi traditi. Alijs præter Parthorum aut Perſarum Reges vſurpatum. Cæſaribus quomodo tributum.* p.127.

De Cognomine Regis Regum. *Arſacidarum* N*ummi rariores, cur hoc titulo traditi & explicati obiter. Parthis an à Romanis conceſſum. Commune alijs præter* Parthorum *aut* Perſarum Reges. N*ummus Cleopatræ illuſtratus. Dio adſertus.* p.129.

De Cognomine Philellenis *&* Philoromęi, *cur ab Arſacidis alijſque illud vſurpatum. Strabo Cicero illuſtrati. Nũmus Ariobarzanis explicatus. Strabo, Themiſtius illuſtr. De Nummo* Herodis. *Alia. p.*133

De appellatione ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ *in* N*ummis Tryphonis ac Tigranis* N*ummi.* p.136.

Alia ſingularia ex N*ummis id genus.*Aſandri N*ummus traditus & illuſtratus. Dio, Appianus illuſtrati. Strabo, Photius emendati. Conſt.Porphyrogen.illuſtratus.De* Abgaro *in* N*ummis.Lamprid.emendatus.*Occo *caſtigatus. p.*140

De Philetęro *&* Attalis. N*ummi eorum obiter indicati. Strabo, Appianus,* P*auſanias expenſi.* p.140.

De Factis *alijs in* N*ummis Græcorum aut Barbarorum. De Diademate, Tiara Parthorum ab alijs diuerſa. Dio &*

Io-

Ioſephus illuſtrati. *Syneſius expenſus* p.141.

Ad HISTORIAM *ROMANAM ante tempora Cæſarum*.

I. *Circa* Familias *Romanorum*. *Vrſini opus laudatum à Patino recognitum*. p.144.

Ob Notitiam *Familiarum Romanarum*. *Familia pro Gente apud Tacitum* & *Gellium*. *Familiarum* Romanarũ *ſcriptores*. *Beneficium Nummorum in ijs tradendis*. *De Pyrro Ligorio*. p.148.

Ob Familias *aliunde ignotas*, *quàm ex Nummis*. p.148.

De Prænominibus *&* *Cognominibus Familiarum*. *De* No*mine proprio*, *quale fuerit*, Sirmondus *caſtigatus*. *De* Prænominibus *Mulierũ*, Sigonius, Pãuinius P.Seruius *caſtigati*, *Suetonius aliquoties illuſtratus*. *De* Prænominum *vſu & varietate ex Nummis*. p.149.

De Cognominum *vſu et varietate ex Nummis*, *Plutarchus et vetus lapis illuſtrati*. *Liuius expenſus*. p.159.

De Cognominum *origine in Nummis*. *Appianus & Plutarchus illuſtrati*. *Vrſinus refutatus*. p.163

Ob Originem *Familiarum*. *Origo et vſus Gentiliorum Inſignium ex Nummis indicatur*. p.168.

Ob Magiſtratus & Dignitates *in Nummis expreſſas*; *De Tribunitia Poteſtate*, *Tacitus illuſtratur*. *De Triumviris*, *alijs*. *De nomine Græco Pontificis Maximi*. *Dio Caſſius & Dionyſ. Halicamaſſenſis*, *contra Iacob*. *Gutherium adſerti*. *De* Legatis Froprætore *Dio illuſtratus*. *Capitolinus explicatus contra* Salmaſium *de prouincijs conſularibus et prætorijs*. *Interpretes Dionis*, *Appiani*, *Philoſtrati*, *Photij*, *caſtigati*. *Strabo emendatus*. p.170.

Ob Geſta *Illuſtrium*, *Liuius Val.Maximus illuſtrati*. *Appianus circa* Legionum *numerum illuſtratus*. *Mos* Sellæ curulis *mortuis & abſentibus datæ*, *ex Dione pluribus illuſtratus*. p.181.

II. *AD HISTORIAM ROMANAM ſub Cæſaribus*. *Nummographi laudati*. 187.

I. *Ob* Seriem *Cæſ. rum & Auguſtorum*. *De Hoſtiliano & Erennio Hetruſco*, *Victor*, *Eutropius*, *Zozimus alij obiter expenſi*. *Valeriani*, *Gallieni*, XXX *Tyranni ex Nummis excuſſi*. ccco, Goltzius *caſtigati*. *Varij Tyranni & Auguſti ex Nummis*

mis illuſtrati. *Nummus Carauſii expenſus*. *p*.189.

2 *Ob* Seriem *&* *Hiſtoriam* Auguſtarum. *Mos e Lampridio expenſus*. *Nummi* Liuiæ *illuſtrati*. *Suetonius & Dio adſerti & illuſtrati*. *Nummi* Sororum *Caligulæ*, *item* Meſſalinę, Poppeę *expenſi*. Triſtanus *refutatus*. *Aliæ Auguſtæ ex* Nummis *illuſtratæ*. *De* Neruæ Vxore *contra* Triſtanum. *Plinius Dio & Victor explicati*. Fauſtinarum *Nummi rariores illuſtrati* Triſtanus *refutatus*. *De* Iuliâ Domnâ *vetus inſcriptio cõtra* Scaligerum *&* Reineſium *adſerta*. *De* Vxoribus *Elagabali*. *De* Salluſtia Barbia Orbiana, *noua ſententia ex* Nummis. *De* Paulina *vulgò vxore Maximini*. Triſtanus *caſtigatus*. *De Probi* Vxore *et* Nummo *Magni Ducis*. *De alijs Matribus & Vxoribus Auguſtorum ex* Nummis. *p*.199.

3 *Ob* Titulos *et* dignitates *Candidatorum Imperij*. *De nomine* Cæſaris. *Noua illius obſeruatio ex nummis indicata*. *Origo eius et ratio contra Caſaubonum alioſque eruditos expenſa*. *Sp. rtianus emendatus*. *p*.221

De Titulo Principis Iuuentutis, *illius origine & quibus conceſſus*. *p*.125.

De Titulo Sacerdotis cooptati in omnia Conlegia. *Lampridius illuſtratus I*. Gutherius *caſtigatus*. *Dio illuſtratus et explic tus*. Cæſariſſæ *apud Byzantinos ſcrip ores*. *p*.226.

De Titulis Auguſtorum. *Mos eos conferendi*. *Dio & Lampridius ex* Nummis *illuſtrati*. *p*.230.

De Titulo Auguſti, *et varia illius appellatione*. *Quibus in* Nummis *vſurpatus vel omiſſus*. I. C. Bulengerus *caſtigatus*. *Dio explicatus*. *De diademate peculiari Auguſtorum ex Ammiano & Euſebio*. *De vſu nominis* ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ & ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *p*.230.

De Titulo Imperatoris. *Quot modis Cæſaribus in nummis tributus*. *De primo* Dio, *Syneſius*, *Herodianus illuſtrati*, *Philoſtratus explicatus*. *Cæſaribus vel Candidatis imperij conceſſus*. *A quibus Auguſtis admiſſus vel reiectus ex* Nũmis. *De poſteriori nominis vſu*, *Dio emendatus & explicatus*. *De multiplicato numero*, *mos e* Dione *expenſus*. *p*.234.

De Titulo Pontificis Maximi.

Inſcr.

Inſcr. illuſtrata. Coniuncta apud Romanos Imperij & Sacerdotij iura. Codex Theodoſianus, & Euſebius illuſtrati. ΑΣΙΑΡΧΑΙ & ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ *ex* Nummis. *Conſtantinus Porphyrogen. caſtigatus. Locus Actorum* XIX *illuſtratus. Inſcriptio Græca adlata, nuper in Vrbe reperta. Tempus illius obiter indicatum. Tertullianus, Ioſephus Dio, Philoſtratus, illuſtrati. p.*240.

De Titulo Tribunitiæ Poteſtatis *in* Nummis & *illius prærogatiua;* Dio *& Tacitus illuſtrati. p.*248.

De *Titulo* Conſulis *ſuſcepti ab Imperatoribus. Origo ex Appiano. Lapidos expenſi.p.*250

De *Titulo Cæſarum* Proconſulis, Caſauboni *dubium exſum, cur in nummis Cæſarum omiſſus.* Dio *illuſtratus. Origo illius dignitatis indicatur.* I.C. Bulengerus *caſtigatus. Tacitus,* Dio, *Velleius explicati. p.*252.

De Titulo Patris Patriæ *ex Appiano. Quibus Cæſaribus & quando conceſſus ex eorum* Nummis. Patris Hominum *titulus ex Pauſania & Themiſtio illuſtratus. Prior defenſus contra* Caſaubonum. *Alij Tituli* Patris *aut* Matris *orbis,* Exercituum, Caſtrorum, Legionum, Senatus *ex* Nummis *indicati. Caius* Filius Caſtrorum *ex Suetonio. p.*257.

De Titulo Pij. *Origo. Lampridius, Suetonius & Themiſtius illuſtrati. De duplici huius ratione in* Nummis, *& Titulis in ijſdem* Pietatis Auguſtorum, Romanæ, Senatus, mutuâ Augg. *ex Nummis. Auctores nonnulli illuſtrati. p.*262.

De *Titulo* Felicis. *Capitolinus illuſtratus. Tituli varij* Felicitatis *in* Nummis. *Origo tituli* Nobiliſſimi Cæſaris *ex ijſdem et lapidibus indicata. p.*264.

De Titulo Domini. *In Nummis quando vſurpatus. Lampridius, Dio illuſtrati.p.*266

De Titulo Cenſoris *ſub Cæſaribus & à quibus vſurpatus. Tacitus et Dio illuſtratus. De* Præfectis morum, Cenſoriâ Poteſtate, Cenſore perpetuo *ex Auctoribus,* Lapidibus *et* Nummis. *Lapis Caracallæ falsò tributus et Veſpaſiano adſertus.* Nummus *L. Vitellij cum titulo Cenſoris expenſus, Dio et Trebellius Pollio illuſtrati. De repetita Cenſura ſub Cæſaribus contra eruditos. p.*267.

Ss De

De *Titulis ſpecialibus à Dijs petitis* Olympij *in nummis* Hadriani, *Dio & Spartianus & Pauſanias illuſtrati;* Herculis *in nummis Hadriani*, *Commodi*, *Maximiani*. *De* Iouio *et* Deo *Caro*. *p.*276.

De Titulis Victoriarum *aut* deuictarum Gentium *in Nummis*. *De* Alamannici *&* Francici *vſu et diſcrimine*. *Nummus Ser. Principis Leopoldi obiter illuſtratus*, *in quo* FRANCIA. *p.*280.

De Titulis Adfinitatis *aut* Adfectus *in* Nummis. *De Titulo Antoninorum*. *Lampridius illuſtratus.* *p.*282.

4 *Ob* Facta *Cæſarum in Nummis contenta.* *p.*284.

De *Nummis vulgò* Spintrijs *Tiberij*, *noua Auctoris coniectura*. *Mos laſciuorum numiſmatum in Theatris*, *e Martiali illuſtratus.* *p.*284.

De Aſylorum *iure ſub Cæſaribus*, *Suetonius caſtigatus*. *Mentio eorum in* Nummis. *De* liberis *Ciuitatibus*, *et liberâ Amiſo*, *& Rhodo in* Nummis. De Αυτονομία *in ijſdem*, *Cicero*, *Strabo alijque illuſtrati.* *p.*283.

De Remiſſione onerum *aut* Tributorum *in Nũmis Nummus Galbæ*, Quadrageſima Remiſſa *illuſtratus*. *Tacitus et vir doctus caſtigatus*. *Inſcriptio vetus laudata.p.*292.

De Vehiculatione *in* Nummo *Neruæ*. *Ammianus illuſtratus*.

De nummo Hadriani. Reliqua vetera &c. *Dio et Spartianus illuſtrati*, *Auſonius emendatus*, Scaliger *notatus*. *Ammianus illuſtratus.* *p.*293.

De Liberalitatibus *et* Congiarijs. *Mos eorum notatus contra* Salmaſium. *Inſcriptio et Cod.Theodoſ. explicati p.*296.

De Aduentibus, Triumphis Quadorum *in Nummis*, Victorijs Germanicis. *Chriſtiani per* Hydram *deſignati in nummo Maximiani.Nummus Diocletiani* Fata Victricia. *p.*298.

De Adlocutionibus *Auguſtorum in Nummis*. *Mos earum ex Ammiano et Appiano illuſtratus*. Exercitus *varij in Nummis rarioribus declarati*, Dacicus, Britannicus, Rheticus, Syriacus, Cappadocicus, Germanicus, Mauretanicus, Noricus, Illyriciani, Vacenſis, Iſcanius. *p.*301.

De Pacis *Titulis et* ludis ſæcularibus *in Nummis etiam* Ho-

Honorij. De Operibus *varijs, Templis, alijſque in ijſdem De* Arcu Portugalliæ. *De Nummo inſigni Peſcennij Nigri Gazæ Farneſianæ. p.*304.

V. *De* Chronologiâ *&* Geographiâ *Prioris utilitas obiter indicata & aliò dilata. Specimen poſterioris ex Nummis illuſtratæ.* De Primatu *Aſiæ et* Neocoris *errores doctorum obiter indicati. In reſtituendo Stephano nũmorum utilitas; variarum Vrbium nomina reſtituta ex ijs.* Dio *quatuor locis emendatus. Eius Interpretes notati. Mela, Ptolomæus, Hirtius emendati.* Calpe *et* Carteia *Vrbes diuerſæ contra viros doctos adſertæ.* Stobenſium *Vrbs emendata in Stephano, alijs.* Odeſſi *verum nomen ex Nummis traditum cõtra* Triſtanum. *De Nummo Vrbis* Neſibis *et nomine* Septimiæ *quibus tributum in Nummis* Scaliger *notatus. Vrbium nomina à Cæſaribus petita, e Nummis declarantur.* Διττογραφία *Vrbium in Nummis. p.*306.

Concluſio Diſſertationis.

Digitized by Google

AVCTORES
EMENDATI, ET ILLVSTRATI.

Acta Apoſtolorum pag. 120. 242. 307.
Ammianus Marcellinus pag. 47. 221. 223. 230. 233. 294. 296. 301.
Antonini Itinerarium. pag. 310.
Apollonij Scholiaſt. p.65.
Appianus notatus. p. 103. illuſtr. 111. 116. 117. 134. 137. 152. 165. 183. 249. 250. 257. 289. 302. emendatus p.65.
Ariſtoteles. p. 88. 91.
Ariſtophanis Schol. p.91.
Artemidorus. p.16.
Athenæus. p. 10. 15. 101. 118. emend.p.112.
Auſonius emend.p.295.
Capitolinus explic. 179. illuſtr. 264.
Catullus.p.300.
Cicero 11.31.134.160.225. 290.
Clemens Alexandrinus p.101.
Codex Theodoſianus. pag. 240. 246.297.
Conſtant. Porphyogen. pag. 100. 139.notatus p.243.
Digeſta p.9.
Dio Chryſoſthomus p. 8. 13. 25. 46. 109.111.119.126.142.296
Dio Caſſius p. 14. 119. 131.132. 133.140. 165. 169. 171.174. 177.186.205. 211. 225. 267. emendatusp.65.66.237.bis308. 309.explicatus 203.237. defenſus p. 174.
Diodorus Siculus p.310.
Dionyſius Haliarnaſſ. defenſus p. 175.
Euſebij Chronicon explic.113 notatum 211.
Euſebij Hiſtoria ill. p.14.17.105. 231 233.234.235.236.295.notata 203.
Euſtathius p.66.
Eutropius p.191.notatus p.211.
Excerpta Græca Euſebij.p.136.
Excerpta Conſtantini p.133. 134.
Excerpta Legationum. p.110.128.
Feſtus emendatus p.65.
Gellius p.9.145.158.164.
Herodianus p.119.128.211. 213 235.emendat.p.66. 69.
Herodotus p.89.
Heſychius p.16.87.emendat. 107. defenſus 93.
Hieronymus p.89.
Hirtius emend:p.310.
Inſcriptiones veteres p. 149.203. 204. 211. 215. 116. 143. 251. 264.265.269.282.296.300.
Inſcr.Ineditæ 164.236.245.
Ioſephus p.115.120.142.168. 206 246.297.emendat.65.
Iulianus p.206.
Iuſtinus p.172.
Lampridius p.200. 210. 229. 262. 263.266.278.emendatus 149.
Linius p. 162.168.175.182. 259.
Lucanus p. 83.103.
Lucianus p.40.61.63.111.116.
Martialis explicatus. p.286.
Marmora Arundelliana p. 242.
Mela p.7.emendat. p.312.
Monumentum Adulitanum. pag. 122.

Nice-

Nicetas p. 228.
Nouellę Iuſtiniani. p. 263.
Nummi inediti obiter illuſtrati aut declarati
Ex Cimelijs
Barberini Cardinalis
Buoncompagni Cardinalis
Camilli Maximi
Chigij Principis
Feliciæ Rondinini
Franciſci Gottifredi
Gaddi Florentini
Leopoldi Principis
Magni Ducis
Mutinæ Ducis
Nicollini Marchionis
Palatini Electoris
Parmę Ducis
Oppianus p.260.
Ouidius p.66.260.
Pauſanias p.55.114.115. 264. defenſus,& illuſtratus p. 259.
Philoſtratus p.7.9-16.46.180.
Photius p.115.123.138.181.283. emend. 124.125.
Plinius p.27.40.89.
Plinius minor p.13.31.207. 289. notatus 26.
Polybius p.110.
Plutarchus p. 25. 105. 110. 111. 119.159. 175. 163. 277. 308. notatus 153. emendatus.65.
Porphyrius p.87.104.
Procopius p.7.
Propertius p.286.
Quintilianus p.293.
Seneca p. 16.
Seruius p.87.notatus p.103.
Sidonius Apoll.p. 199. 258. 273.
Solinus p.89.
Spartianus p.210. 211. 258. 277. 281.285.303. emendatus 224. 309.
Strabo p.83.180. 290. 291. 310. 312.emend. 138.181.309.
Stephanus p.312.emendatus pag. 312.
Suetonius p.8. 16.155. 164. 203. 230.233.248.258.264.
Symmachus p.8 276.
Syneſius p. 101. 125. 135.
Tacitus p.144. 171.172.201. 238 239.244. 250. 255. 261. 262. 264.267.notatus 292.
Tertullianus p.245.
Themiſtius p.128.135.260. 263. 267.280.
Theocritus p. 122.
Theophylatus Simocatta p.109.
Trebellius Pollio p.28. 193. 195. 273.276.
Tzezes p.92.
Valerius Maximus p. 183.
Varro p. 172.
Velleius Paterculus p. 239.255.
Virgilius. p.28
Victor. p. 191.208.
Vopiſcus p.196.220.281. 282.
Xiphilinus emendatus p.66.
Zozimus. 192.

A D-

ADDENDA, ET EMENDANDA.

pag.20. ANnibalem Caro Parmenſem; dele ;Parmenſem, et emenda Picentinum. *Id monuit me continuò Eminentiſſimus Cardinalis Sforza Pallauicinus, lectis primis huius opuſculi paginis*. Il Signore Spanheim che con l'aureo ſuo ſtile conuerte in oro prezioſo tutte le Medaglie, e col fino amor ſuo attribuiſce ſpeſſo à me que' pregi che non mi ſono douuti; diffonde ancora queſto parziale affetto verſo la Città, dalla qual' io traggo l'origine. Onde aſcriue per ſuo figliolo à Parma il famoſo Annibal Caro, il quale ſecondo la verità, nacque in Ciuità nuoua, Terra della Marca ſotto il Dominio de' Signori Ceſarini.

pag.50. Nummus Sidonis; *omiſſæ inſcriptiones horum Nummorum et aliorum id genus, quos penes me habeo, inopia caracterum*.

pag. 65. *Feſti locum, vt eum correxi, ita emendatum poſtea deprehendi apud Fuluium Vrſinum in opere Familiarũ Romanarum*.

pag. 111. *Eandem originem vocis* Epiphanis *indicauit iam obiter ad Euſebium Cl. Valeſius*.

pag.134. ΜΕΓΑΛΟΥ adde, vel ΜΕΓΙΣΤΟΥ. *Ita enim Pontifices* Maximi *dicti paſſim Cæſares in Nummis*.

pag.179. *Re accuratius expenſa*, *Salmaſij interpretatio ferri poſſe videtur circa Prouincias Conſulares, & Prætorias apud Capitolinum*.

pag.181 Pecunias Cæſaris colligebant, *adde, & diſtribuebant militibus. Vtrumque enim Procuratorum Cæſaris officium liquet ex Strabone, Appiano, alijs*.

pag.254 *Eãdẽ originẽ Iuris Procõſularis conceſſi à me traditã vidiſſe Petrum Marcam in noua editione operis de concordia Sacerdotij & Imperij, monuit me* V. *Cl. Octauius Falconerius noſter*.

pag.261 Tiberio *dele, & ſcribe Claudio. De eo enim Tacitus id notat Annal. XI.*

pag.254 Neruæ *Ita lapis apud Gruterum, qui Neruæ Traiano tamen videtur adſcribendus, ex adiuncto cognomine Dacici*.

pag.295 *Ante illa verba*, Hadriani verò exemplum, *ſcribe; hunc morem Syngraphas eorum qui Reip. debebant, comburendi ab Auguſto videtur hauſiſſe Hadrianus, de quo ſimile factum refert Dio lib. 53. & Appianus Bell. Ciuil. l. IV.*

pag.309 Λαπαΐκους legendum *Vtrumque tamen ſcribi notat Stephanus* Λαμπαΐκους &

λαππαι'ȣς, *Vnde nihil for-* *te mutandum in Dione.*

Errata verò Typographica ita emendanda.

pag.9.v.28.memini. p.11. v.22. *temporariam.* p. 12. v.18. Anadyomene. p.13.v.1.eluſiſſe. p.14.v.12.Praxitelis. p.29 v.28. conuenio. p. 30. v. 6. tot. p. 36. v.Coorum. p. 37. v. 17. Aeſchyli. A.27. Ariſtoteles. p.52.v.19.Phœnici p.55.v. 28. Αρτεμις. p. 93. v. 15. γάρ. v.16. Silphij v.17.copioſum. p.101.v.2. Amynta v.11.Cyrenenſes. p.105. v.25. Tryphones aliique. p. 116.v.14.Seleucidarum v.22. Κεραύνιος. p.118.v.20. referri. p. 122.v.1.cogniti.p.125.v.5. Phraates.p.131. v.25.dicti ſint. p. 131. v.20. Choſroæ. p. 132. v. 21. Τον' ιτε Καταξίωα ἐπωνόμαιον p.144.v. 19. magnanim' p. 151.v.7.Sullas.p.163.v.24.Vallo.p.170.v.17.Quiritũ p p.173.v.9.modius.p.174.v.8.PRAEF.p.175.v.14.μεγάλη.p.180.v.20. ſuberat. p.184.v.18.AC.v.21.LD. p. 190.v. 24. Iornandes. p.227.v.8. Sacerdotijs. p. 245. v.9. ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ. p. 235.v.20. vtriuſque. p. 241. v.14. *tranſpoſita* ΙΓ. ΠΟΛ. p. 277. ſugillat in priori. p. p.279.v.13. DEBELLATORI. p.301.v. 29.eo facto. p.302.v. 1.concitauit. p.309.v.13.Antinoi. v.26. conati ſunt. p. 312.v.28. argumento.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

Digitized by Google

by Google